

aurum quam per aquilonem, accipiant tentationes et tribulationes, sed per aquilonem servientem intelligunt persecutiones, minas et tormenta; per aurum blandientem vero blanditias ad decipiendum compositas, q. d. « Surge, aquilo, et vni, auster, perfla hortum meum, » id est irrumpe jam (per me licet) in sanctos meos, impii homines: gladios, securas, cruces, bestias, fornaces, ignes, omnes denique penarum turbines vestra, o demones, arte collectos in sanctos hortos quantumbet grassamini: nihil aliud quam plantari, quod plantavit Pater meus celestis, calorem excitabit. Nihil aliud in mediis tormentis, quam fidem meam proficientes, vota atque preces pro suis tortoribus fundentes sanctos meos audietis. Nihil aliud in eis quam fidei, charitatis et magni atque infracti animi documenta videbitis. Non aliud quicquam ex sanctis meis, quam preclara dicta et fortia facta exprimitis: quorum aromatum fragrantia vos aeternum cruciet, me vero oblectet supra modum. Preclare S. Basilii, epist. 11 ad Nicopol. presbyt. : « Persecutiones, ait, sunt grandines et torrentes et quæcumque alia subita sunt ac temporalia, quæ mollia quidem facile bedat ac dissipant, a solidis vero et resistentibus, si in illa inciderint, magis palantur aliquid, quam ut illis incommodent: sic et vehementer illæ tentationes contra Ecclesiam motæ, imbecilliores detectæ sunt, quam ut robur fidei, quæ in Christum est, infringent. Itaque quemadmodum, ubi grandinis nihilum præterit, et torrentes alveo suo effluit, illud in serenitatem dissolvitur, iste profundo absorptus, viam qua fluxerat siccam et aridam relinquit: ita et tempestas illa quæ nos jam apprehendit, paulo post non erit, modo sustineamus non

inspicere præsentia, sed spem in ea extendere, quæ paulo sunt ulteriora. » Et S. Chrysostomus, hom. 25 in Matth. : « Quæcumque, ait, adamantem percussit, magis ipse percussit, et qui adversus stimulum calcitrat, sine dubio ipso compungitur, suisque propriis ictibus vulneratur: et qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subvertitur, et malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutius præliatur; et sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidem non exstinguit, vestem vero comburit, ita etiam qui in virtute positos persequuntur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariore, se autem omnino perdebant. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS

## De Christo et B. Virgine.

Juxta priorem sensum *vō fuge*, auster qui fecundavit beatam Virginem ut Deum in humanitate pareret, fuit Spiritus Sanctus, juxta illud, Luc. 1, 35: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; » ideoque ab eo fugatus est aquilo, id est Lucifer, et immisus auster, id est Gabriel, qui ei lætum Verbi incarnandi nuntium afferat. Rursus auster, id est fervor Spiritus Sancti, eam assidue impulit ad continuum Dei amorem, et heroicis virtutum actus.

Juxta posteriorem sensum, B. Virginis vita præ omnibus justis mixta fuit aquilone et austro, id est adversis et prosperis, desolatione et consolatione, dolore et gaudio. ut patet eam expendenti.

## CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa a sponsa in hortum invitatus, ibidem cum ea et sociis epulatur. Post epulum, vers. 2, sponsa noctu cubitum concedens, mane experrecta, narrat sociabus quid sibi dormientis acciderit, scilicet se noctu evocantem a sponsa, cum soporē torpens tardius ad illi operiendum ostium surrexit, illum quasi desideria hinc et invivillatū offensum alio obtinisse: quare se per varia pericula questivisse, ac vicā invenisse illum, qui paulo ante ultro se illi ad fores offerrebat. Porro cum in quaerendo sponso adolescentulæ sponse se socias offerrent, quaerunt ab ea, qua figura et habitu sit sponsus, ut eum interrogare queant; quibus sponsa respondet, ac sponsum vivis coloribus depingit, cuiusque caput aureum habere asserit, oculos cælimbinos, genas instar aromatum, labia instar liliorum, manus tornabiles, ventrem eburneum, crura marmoreæ, guttus suavissimam. Denique ipsam per omnia summe esse pulchram et desiderabilem asserat.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatis meis: comedite favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. 2. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis:

Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. 3. Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. 5. Surrexi, ut sperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. 6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quasivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi. 7. Invenerunt me custodes, qui circumneunt civitatem: perusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. 8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? 10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. 11. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigra quasi corvus. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consita a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. 14. Manus illius tornabiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri. 16. Guttur illius suavis-simum, et totus desiderabilis: talis est dilectus tuus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. 17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quæ declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.

## VOX SPONSÆ.

VERS. 1. VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM, ET COMEDAT FRUCTUM POMORUM SUORUM.

Pro dilectus hebraice est *דוד* *dad*, quod Septuaginta passim vertunt *adelphus*, id est *fratruelis*, vel *nepos*: Syrus et Arabicus; *patruelis*, vel *filius fratris*: Chaldeus per hortum accipit *templum*, unde vertit, *ingredietur Deus dilectus meus in domum sanctuarii, et suscipiat voluntarie oblationes populi sui*.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS.

## De Christo et Ecclesia.

Comparat Christus sponsus sponsam Ecclesiam hortu concluso, ejusque varios et præstantes fructus celebrat cap. præced. vers. 12 et seq. nunc sponsa sponsum in hortum ita a se laudatum, hoc est, ad seipsam invitavit, ut fructibus ejus quos, flante austro, id est Spiritu Sancto, ipse produxit, se oblectet et pascat: totum enim hunc hortum ad unius sponsi obsequium esse compositum, ideoque illi soli patere, cæteris vero esse clausum proficitur; unde ait: « In hortum suum, » non meum, q. d. Meus hortus non tam est meus, quam suus, quia ego qui sum hic hortus, non tam mea sum, quam sponsi. Christus enim me Ecclesiam totam, quanta quanta sum fecit, ornavit et composuit: quare quidquid est

in me ornatus et decoris, non ex mea natura, sed ex illius dono et gratia habeo, illique acceptum fero, et utendum fruendumque una mecum offero ac refero: ego enim tota sum Christi, quare illi soli totam me dedo, dedito et reddo.

Pro *veni* Septuaginta et Arabicis vertunt *descendat*, quæ vox summam sponse erga sponsum humilitatem et reverentiam, æque ac sponsi celsitudinem denotat, q. d. Dignetur divina Christi majestas ex alto divinitatis suæ solio ad me Ecclesiam, quæ ima et vilis ejus creatura sum, ac olim peccatis meis graviter eum offendi, descendere, meque sua gratia visitare, corrigere, polire et perficere: esto enim ego tota opus sim Christi, tamen quia ego operi huic ejus per liberum arbitrium cooperata sum, veror ne qua negligentia, imprudentia, cupiditate opus hoc ejus macularim et turparim; ipse ergo descendat, ut maculas hæc meas emaculet, meque totam nitidam et pulchram, ut per omnia oculis ejus placeam, efficiat. Unde Syrus vertit, *veni* patruelis meus per hortum meum in hortum suum, ut scilicet hortum meum, quæ meus est, ideoque defectuosus expurget et perficiat, itaque hortum suum, id est sibi per omnia placeantem et conformem efficiat. Audi Nyssenum: « Quia fieri non potest ut aliter assumamur ad Altissimum, nisi inclinetur ad humilitatem et depressionem, quia mites assumit Dominus; propterea sublime ascendens sponsa, accersens deductionem facientiam ab eo qui inclinatur, optat ut ipse descendat sua magnitudine. »

Pro pomorum hebraice est מֵגֵדִים *megadim*, quod, ut superius dixi, quoslibet fructus praestantes et delicatos significat, sive molli sint corosae, sive duro, ut nota. S. Ambrosius, lib. V *De Sacram.* cap. III, legit, *pomiferarum suarum* (alii, *deliciarum suarum*), scilicet arborum, per quas ipse animas baptizatas intelligit: « Quae, inquit, sunt istae pomiferae? » ac respondet: « Lignum aridum factus eras in Adam, sed rursus per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. » Ergo per poma accipe virtutes quaslibet, earumque exercitationes, progressus et perfectiones, quas comedit Christus, dum his se pascit et oblectat. Ecclesia ante Christum erat hortus, non pomorum, sed spinarum et veprium infidelitatis; tuncque erat hortus, vel potius spinetum et veprelum diaboli; per Christum facta est *hortus pomorum*, id est charitatis et virtutum, ideoque hortus Christi: Jesu enim, id est Salvatoris hortus et cibus, non est alius quam salus hominum, uti docent Nyssenius, et tres Anonymi apud Theoderetum.

Pro pomorum Septuaginta vertunt, *εὐαγγέλιον*, quod S. Ambrosius, lib. I *De Virgine*, vertit, *nu-cina* (alii, *pomorum*, id est quorumlibet fructuum, ut superius dixi): « Invitatur, inquit, Dei Verbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis et sacerdotalis est gratia, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Unde etiam virga Aaron nucis fuit, non tam natura, sed virtute secreta. » Num. XVII, 8. Hinc enim nucibus et pomis pascitur Christus, juxta illud, *Joan.* IV, 32: « Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: » tanta enim, inquit Philo Carpathius, tanque admirabilis est divinae charitatis conjunctio Creatoris ad creaturam, puta sponsi Christi ad sponsam Ecclesiam et quamlibet animam sanctam, ut jam omnia inter se communia habeant.

Porro invitatur Ecclesia Christum ad hortum suum, id est ad seipsam, eum jam instar horti perfecti omni decore gratiarum, omni varietate statuum et gentium, omni splendore virtutum sub tempora Constantinii floruit: toto enim hoc capite describitur status perfectus, et quasi virilis aetas Ecclesiae. Sensus ergo est, q. d. En ego Ecclesia a Christo fundata per trecentos annos, eum tyrannicis imperatoribus luclata et confingens, germinavi et protulsi innumera agmina sanctorum martyrum, doctorum, pontificum, virginum, sacerdotum, etc.; imo ipsos imperatores, ac in primis ipsum Constantinum fidei et Christo subjugavi, ac christianum effeci, ejus nutu et imperio jam ubique basilicæ, monasteria et templa Christo edificantur, populi omnes Christo regere ac Constantino se subdunt, triumphat toto orbe victrix Christi erax, gratia, fides, religio, charitas, etc. Veniat ergo ipse in hunc hortum suum, atque hosce fructus delibet, eosque spiritali gratia suae visitatione irroret, adaugeat, atque perficiat.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Anima sancta sepe orat ut Christus in hortum mentis suae veniat, illumque tam gratia sua, quam per se personaliter in Eucharistia visitat, tum ut ejus pomis, id est virtutibus per gratiam ejus productis se pascat et oblectet, tum ut eandem a defectibus expurget, expoliet, augeat et consummet: in Eucharistia enim Christus epulatur nobiscum, et nos cum Christo; idem facit in quolibet virtutis exercitio, juxta illud, *Apocalypsis*, III, 20: « Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum: » vide ibi dicta. Nos enim in Eucharistia realiter comedimus Christi carnem sub panis specie absconditam, etsi illam in substantiam nostram non commutemus, uti commutamus alios cibos, quos manducamus; ac Christus vicissim comedit nos, quia nos sibi magis unit et incorporat, ut famus Christo concorporati et consanguinei, imo *christiferae*, ait S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* IV *Mystagog.*; hinc illud Christi Domini ad S. Augustinum: « Non tu mutabis me in te (uti fit in comestione ciborum corporalium), sed tu mutaberis in me: » Eucharistia enim est fructus deliciarum, id est delicatissimus et deliciosissimus: quare devote communicans induit Christi mores et amorem, Christi affectus et effectus, Christi opera et studia. Summa ergo communicatio Christi fit in Eucharistia: ibi enim per essentiam, alibi per inspirationem et gratiam donantur se communicat; unde hoc sacramentum vocatur *synaxis* et *communio*. Quocirca nonnulli, in sacra synaxi, hac praxi utuntur, ut mentaliter Christum invitent et deducant in hortum animæ suæ; ejusque defectus illi ostendunt, rogantque ut ipsos corrigat, virtutes novas inserat, insertas irroret et adaugeat. Alii Christum ut medicum inducunt in hospitale animæ suæ, ibique omnes ejus passiones et ægritudines illi demonstrant, rogantque ut illas curare et sanare dignetur.

Hinc animam sanctam esse hortum Christi, in quo ipse pascatur et delicietur illis castitatis, malis puniceis unionis fraternæ, nucibus fortitudinis, cypro fidei, nardo spei, croco charitatis, etc., docet S. Gregorius: « In hortum, inquit, delectus venit et fructum comedit, quando Christus mentes visitat, et honorum operum delectatione se satiat. » S. Gregorium de more sequitur Beda Justus Orgelitanus, S. Anselmus, Richerius et alii. Adit Justus Orgelitanus Christum proprie comedere fructus misericordiæ et benevolentiam, quæ dantur pauperibus: hoc enim comedit, non ore suo, sed per ora pauperum suorum, juxta illud quod eleemosynarius ipse dicitur est

in die judicii, *Matth.* XXV, 34: « Venite, benedicti Patris mei, possideite paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. Quare? » fecistis mihi ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. »

S. Ambrosius vero, lib. III *De Virgine*, hæc adaptat virginibus: virginitas enim est pomum pulcherrimum, quo deliciatur Christus; unde Lucas abbas, continuator Aponii, per *fructum pomorum* accipit primitias virginitatis: sic enim ait: « Christus invitat sponsa, ut primitias boni operis fructum pomorum virginitatis ipse consecret, ipse delibet procedendo de virgine, ipse gaudii penitentiae pomum susceptum ab Ecclesia angelis transmittat ad celum. » S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eusothiam virginem*, urget ut domi se claudat, nec foris vagetur: « Semper, inquit, te cubiculi tui secreta custodiant. Audies a sponso: Hortus conclusus, sicut mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus. Cave ne domum exeat, et velis videre filias regionis aliene. Dina egressa corrumpitur: nolo te sponsum querere per plateas; nolo te circumire angulos civitatis. Foris vagetur virgines stulta, in intrinsecus esto cum sponso. Zelotypus est Jesus, non vult ab aliis videri faciem tuam. » Hæc S. Hieronymus ibidem, sed sparsim.

Pari modo hæc adaptes religiosis: religio enim et concubium est hortus conclusus et paradisus Christi, quem scilicet Christus per suos vicarios instituit et fundavit, in quo ipse deliciatur religiosorum humilitate, obedientia, paupertate, castitate, etc. Vide nostrum Hieronymum Platam, lib. III *De Bono status relig.* cap. XIV, ubi ex S. Basilio, S. Chrysostomo, S. Bernardo et aliis demonstrat religionem esse paradisum Dei, non tantum terrestrem, sed et coelestem: nam, ut ait multisque probat B. Laurentius Justinianus, *De Perfect. monast.* cap. VI: « In rebus humanis et in hæc peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem celestis patriæ, quam monastica conversatio, et conversatio divino cultui dicata. »

Anagoge, Beda et Hugo Victorinus, lib. III *De vita mor.* cap. XIV, hæc attribunt animæ sanctæ, ut cupit dissolvi et esse cum Christo, q. d. « Utinam citius veniat Dominus, ut nobis mercedem piæ nostræ devotionis benignus resiliat; et sicut nos semper cum diligere et fructum justitiæ, quem ipse donavit, reddere ei curavimus, ita nobis felicissimum suæ charitatis reoperationem ad se suscipiendo manifestet; » hinc et Theoderetus censet animam idem hic petere, quod in Oratione dominica dicendo, *adveniat regnum tuum.*

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

ta Virgo invitavit Verbum æternum initio

veris, puta die 23 martii, sive in Feste Annuntiationis, inquit Guillelmus, in *hortum suum*, id est primo, in utero suum, ut in eo comedit fructum pomorum suorum, id est carnem a se preparatam et organizatam assumat, in qua ipse Deo Patri se in holocaustum pro hominibus redemptione offerat: ita S. Athanasius in *Synopsi*, Rupertus et Casarius, *Dialog.* 3: Christus enim mox ut carnem in utero Virginis sibi univit, puta in primo instanti conceptionis suæ, sese in victimam piacularem pro totius mundi salute Deo Patri obtulit juxta illud, *Hebr.* X, 5: « Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem non visum, corpus autem spasti mihi, etc. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam; » tunc ergo revelante Patre previdens omnes afflictiones, dolores, et tormenta sibi inferenda, ea ultro accepit, gustare cepit, ac Deo Patri obtulit. Secundo, B. Virgo invitatur Christum in hortum animæ suæ, ut ibi puritate angelica, humilitate mæthælica et charitate seraphica, etc., quasi virtutibus a se inditis se pascat, juxta illud, *Joan.* IV, 34: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus; » voluntas autem Patris mittentis est salus, virtus et perfectio beatæ Virginis cæterorumque hominum. Tertio, B. Virgo invitatur Christum, ait Rupertus, q. d. « Eva invitavit virum suum ad comedendum pomum non suum, pomum alienum, pomum interdicitum, ego invito dilectum ad hortum suum, » etc., puta ad meipsam: « veniat igitur in hortum suum, et me transferendo in illud tertium celum, in illum tertium paradisum quo abit, quo me vidente ascendit, comedit fructum pomorum suorum, perficit usque in finem, perducatur gratiam eorum que in me celebrata sunt, operum suorum. Ex quo in celum abiisti, crebro reverteris in illum, quem dicit paradusum emissionum mearum, et comedis de pomis puniceis, quæ optima sunt inter primitias earumdem emissionum mearum. Tot enim jam comedis fragmina malorum puniceorum, quot beatas animas martyrum confessorumque tuorum, hinc assumis et transfers in illud vite sempiternæ secretum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad illum quem dicit fontem hortorum? Quando ita venies ad me, ut ibi tu es, illud ego tecum sim? »

Quæres, quare B. Virgo vocetur hortus, non ager, non campus: nimirum « hortus (respondet Rupertus), quod semper ibi aliquid oritur, quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est; unde ergo hortus es tu, o dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam desinit, nunquam marcescit aut deficit? » Adde, B. Virgo instar horti assidue vivine gratia fluentis irrigabatur, ut pulcherrimos omnium virtutum flores frutesque continuo produceret.

## VOX SPONSI.

VENI IN HORTUM MEUM, SOROR MEA SPONSA, MESSU MYRRHAM MEAM CUM AROMATIBUS MEIS.

VENI IN HORTUM MEUM, SOROR MEA SPONSA. — Sponsus invitatus a sponsa in hortum suum ultro acceptat, imo praevenit ejus invitationem dicendo: *Veni*, in praeterito, hoc est, *jam ingressus sum*, ut vertunt Septuaginta, in *hortum meum*, qui non est alius quam tu ipsa sponsa mea, quam cap. praeced. vers. 12, vocavi *hortum conclusum*. Tu ergo es hortus tibi et mihi, sive tuus et meus, quia quod tuum est, meum quoque est, tum quia sponso et sponsae omnia sunt communia; tum quia quidquid habes boni, hoc habes a me et a gratia mea; tum quia id ipsum a te mihi oblatum, et per gratitudinem datum, imo redditum est; tum denique *meum*, quia meo gustui plane oppositum, me mire pascit et oblectat. In te igitur quasi in horto meo, fractus hortenses decerpsi, comedi et bibi, ut sequitur.

MESSU MYRRHAM MEAM. — Hebraice מִיְרְיָה אֲרִי, id est carpsi, decerpsi; unde מִיְרְיָה אֲרִי vocatur *leo*, eo quod praedam discerpat, et *ariel*, id est *leo fortis*, vel *leo Dei*. Septuaginta et Arabice vertunt, *vindemiavi*, id est carpsi, collegi, sive *metendo*, quod proprie est granorum; sive *vindemiando*, quod est uvarum; sive *carpendo*, quod est ramorum et pomorum; sive *colligendo*, uti ex myrrha incisa liquor delluens, puta stacte colligitur. Est catachresis; simili tropo *messem* poetae vocant uvarum *vindemiam*, imo *collectionem* pomorum, ficum, mellis, etc. « Messu (ergo) myrrham, » id est collegi liquorem myrrhinum ex fructu myrrhae stillantem, aut certe carpsi ramos odoratos myrrhae; tam enim rami quam liquor suavis myrrhae odoris gratia ad confortandum cerebrum, et ad delicias adhibebantur in mensis et convivii, praesertim hortensibus quale hic instruitur.

Chaldaeus, ut paulo ante dixi, per *hortum* accipit templum Salomonis, in quo Deo aromata, puta thui et thymiana adolebantur.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Christus sponsus invitatus a sponsa Ecclesia ad *hortum*, id est ad insammet omnibus aromatibus et virtutibus florentem invitandam et fruendam, invitationem acceptat, imo praevenit, ait Nyssenius, dicendo, *jam veni in hortum meum*, id est jam te invisi, o Ecclesia mea, ac primo loco ex te messui, et collegi myrrham meam, id est penitentiam et lacrymas quae initium sunt conversionis et vitae sanctae; hinc S. Joannes Baptista, Christus et apostoli initio praedicationis, tam apud Judaeos quam apud gentes, omnes clamare ce-

perunt: « Penitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum, » *Matth. iv, 17*; penitentia enim destruit veterem concupiscentiae vitam, et novam charitatis aedificat. Hinc ait *meam*, id est a me suggestam; rursus *meam*, id est mihi gratissimam: quod enim animae peccatrici et penitenti amarum est, hoc Christo suave et dulce accidit, juxta illud S. Bernardi, scribi in *Cantic.:* « Lacrymae penitentium vinum sunt angelorum, quia in illis odor vitae. »

Per *myrrham* ergo accipe *penitentiam*, vel quae fit in baptismo, vel quae in relapsis fit post baptismum in sacramento penitentiae, vel in actu contritionis et satisfactionis; unde per *myrrham* baptismum intelligunt S. Chrysostomus, *hom. 11 ex variis in Matth.*, et S. Ambrosius, *IX in Luc. xx*. Messui ergo Christus myrrham, cum omnes gentes per baptismum et penitentiam ab idolis et vitis ad se et vitam sanctam traxit: in baptismo enim spiritualiter morimur et sepelimur cum Christo, ut mensis sepulchrisque in eo peccatis in novitatem vitae emergamus, ut docet Apostolus, *Rom. vi, 4*. Sicut ergo Christus, dum sepelitur, conditus est myrrha et aromatibus a Josepho ab Arimathia, sic et fidelis in baptismo conditur penitentia ceterisque virtutibus.

*Secundo*, per *myrrham* accipias Ecclesiae persecutiones et tribulationes, ac praesertim martyria et martyres, quae ad plura saecula millia prima trecentis Ecclesiae annis, Romae et alibi messui collegitque Christus ante Constantinum. Per *aromata* accipe Ecclesiae doctores et confessores tempore Constantini et deinceps: ita Cassiodorus, Beda, Honorius et Nyssenius, quem audi: « Arbor myrrham ferens erat Paulus, qui quotidie moriebatur, et ipse dabant sibi responsum mortis et per puritatem et divine vitae institutionem aromatizans, fiebat quodam modo odor vitae illi qui salvi fiunt, » *II Corinth. i, 19*.

Symbolice, multi Patres haec ad Christum referunt, sed varie. *Primo*, S. Athanasius in *Synopsi S. Scripturae* haec refert ad Christi incarnationem, in qua ipse mortale corpus assumpsit: myrrha enim mortalitatis est symbolum, illa enim mortua conduntur corpora: quocirca Christo nato tres Magi obtulerunt thui quasi Deo, aurum quasi regi, myrrham quasi mortali et morituro pro hominum salute. Audi S. Athanasium: « In proprium hortum, creaturarum videlicet, ingressus Deus, carnem sibi ex Virgine assumpsit, et homo factus est. Mortale quidem corpus erat, verum cum fragrantia sacrosanctissimi Verbi conjunctum: » sic et Rupertus et Lucas abbas. *Secundo*, Philo Carpathius, Rupertus et Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. 13*, haec refertur ad Christi passionem: Christus enim in horto orans myrrham sudavit sanguinem; rursus cum jam crucifigendus bibit vinum myrrhatum, ait Cyrillus. *Tertio*, Justus Origenianus refert ad sepulturam

Christi: tunc enim Christus conditus est myrrha et aromatibus. *Quarto*, Lucas abbas ait Christum collegisse myrrham, cum Magdalenam in vita, et latronem in cruce ad penitentiam convertit.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Christus descendit in hortum animae sanctae, ac ex eo colligit myrrham mortificationis et aromata virtutum, quas omnes ipsae animae indidit et inseruit: mortificatio enim passionum praere debet vitam sanctam, ut per eam anima ad ceteras virtutes et perfectionem ascendat: ita Theodoretus, Nyssenius, S. Gregorius, Justus, Anselmus. Audi S. Gregorium: « Myrrham dilectus cum aromatibus melit, quando Christus mortificatione vitae ad perfectionem perducit, electum suum quod haec vitae succidens, ad caeleste horreum cum sancta opinione inducit. »

Rursus Justus Origenianus: « Invitatur, ait, pia anima ad hortum passionis Christi, » ut scilicet illam legat, rumet, meditetur, ac per mortificationem, tam activam quam passivam, puta per tolerantiam persecutionum et tribulationum, imitatur, illamque in corpore suo representet, juxta illud Pauli: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, » *II Corinth. cap. iv, vers. 10*.

Huc accedit Richardus Victorinus, qui sic explicat, *q. d.* « O sponsa, afflictionem penitentiae, perasti, pugnam, tentationem, laborem correctionis morum, et venisti ad messem perfectionis virtutum, de laboriosa vita ad contemplationis tranquilliorum statum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus, quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, et perfecta in te virtutum aromata, et cum servatis mandatis profecti sapientia: cum enim mortificata fuerit carnalis et propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, et per consummationem et triumphum hujus laboris venit ad culmen perfectionis. Myrrham autem melit Christus, quando praemissos labores perficit in anima, quibus ad virtutes et perfectionem pertingit, et eam suaviter roborat, ut delectabiliter agat, quae prius horrebat, sicut in Job legitur. »

Moraliter discit hic mortificationem, tribulationes et afflictiones esse dapes et delicias Christi; illas ergo exemplo Christi non horrere, sed ambire et esurire debet anima christiana, in iisque exsultare et epulari: hic enim est calix passionis, quem sicut et bibere ardentem optabat Christus, qui proinde hoc dogma ethicum dedit S. Catharinae Senensis: « Amara pro dulcibus complectere, et dulcia pro amaris. » Quocirca Honorius tropologicè docet *amaram* tunc *invitari* a Christo, quando Christum sedulo imitatur, et ejus

praecipua servat; *metere myrrham*, quando membra sua mortificat, et se vilis ac concupiscentiae crucifigit; *metere caetera aromata*, quando caeteras virtutes accumulat; *favum cum melle comedere*, quando mansueta et mitis moribus est et conversatione; itam quando sacrae Scripturae intelligentiam adepti, aliis eam elucidat; *vinum cum lacte bibere*, quando vino sapientiae, lacte doctrinae nutrita nutrit alios; *inebriari his*, quando non musto, sed Spiritu Sancto saluta est. Haec Honorius.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Repete hic quae de ea dixi hemistichio precedenti, quibus adde ipsam et Christum in ipsa messuisse myrrham, cum astitit Christo crucifixo et morienti, cumque ejus dolores et tormenta tota vita in corde servans asidue ruminabat; unde dicere poterat cum Noemi, *Ruth i, 20*: « Ne vocetis me Noemi, id est *pulchram*; sed vocate me *Maria*, id est *amaram*, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Maria ergo fuit *maria*, id est *amara*, imo *mar*, id est *myrrha* mortis, ac mare amaritudinis et dolorum; unde nonnulli hoc nomen ejus dant etymon, certe ad illud nomen alludit. Audi Rupertum, *De Christo et Virgine*, haec explicantem, ac quatuor praecipua vitae ejus mysteria hic notantem: « Descendendo quippe in uterum tuum, et assumendo carnem, ut verus homo nasceret, qui verus Deus eram, *veni in hortum meum*; moriendo atque ad infernum descendendo, reversurus cum omnibus sanctis et electis meis, qui me expectabant ab origine mundi, *messui myrrham meam cum aromatibus meis*; resurgendo *comedi favum cum melle meo*; ascendendo in caelum *bibi vinum meum cum lacte meo.* »

COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO, BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.

COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO. — Hebraice מִיְרְיָה אֲרִי, id est *favum meum*; Symmachus, *depastus sum sylvam meam*, מִיְרְיָה אֲרִי enim quoque *sylvam* significat; Syrus pro *favum* verit *suavitatem*: favus enim est melleus, ideoque suavissimus; Septuaginta et Arabice pro *favum* vertunt *panem*, puta libum, vel placentam mellitam; S. Ambrosius, *lib. De iis qui myster. inii.* cap. ult., legit, *manducavi cibum meum cum melle meo*: sic Ezechiel, cap. xvi, vers. 13. Sponsus ait sponsam come disse simulam et mel, id est similitudinem nelli tam: solent enim nuptiarum festa dulcissimi et deliciis conditi, ad inescandum sponsae affectum. Porro favus dicitur comedi, cum mel in eo contentum sugitur: nec enim eera, quae proprie facit favum, comedi potest. « Comedi ergo favum cum melle meo, » id est comedi favum non vacuum, sed melle plenum, ex coque mel meum exsuxi.

**BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.** — Pro lacte Arabicus verit melle, mel enim vel saccharum solet misceri vino aspero et austero, ut dulcescat; verum in villis et hortis, ubi est copia lactis, convivia nunc lac, nunc vinum bibunt; unde vetus proverbium gallicum: *Vin sur lait fait souhai*; *Lait sur vin, c'est venin*, id est, vinum post lac opio, lac post vinum est venenum. Alludit ad convivia villarum et hortorum, in quibus sub finem mensae bellaria apponuntur et dulciaria, puta placentae ex melle confectae, imo integri mellis favi, item lac variis modis et formis apparatus, sive liquidum, sive densatum, et in caseum conformatum. Oro alienum videtur quod nonnulli rabbiini pud Aben-Ezram, per lac accipiunt vinum elum; per vinum vero vinum rubrum, quos secutus Chaldaeus verit, suscepta est, inquit, coram me libatio vini antiqui et rubicundi, et vini albi: nam lac subinde vocari vinum, docet Alexander ab Alexandro, lib. V *Genial.* cap. viii: «Cum in sacris bonae deae, ait, vino libetur, illud non suo nomine nuncupatur, sed lac dicunt esse; vini tamen amphoram in sacris obvolutam apponunt, quam dixerunt mellarium,» hinc et illud, *vinum est lac senum*. Verum Hebraea, Septuaginta et caeteri constanter habent lac, non vinum. Porro Clemens Alexandrinus, lib. I *Pedagog.* cap. vi, docet dulce vinum cum lacte solere misceri, ac mixturem hanc gratam esse et utilem: vinum enim acorem addit dulcedini lactis, lac vero summe nutrit, ut docent medici et patet in pueris. Audi Clementem: «Miscetur quoque lac vino dulci, est autem dulcis mixtio velut temperata affectione ad incorruptionem: lac enim a vino serescit et finditur; et quidquid est ejus adulterinum, id tanquam per aqueductum emittitur: eodem modo spiritualis fidei societas (praesertim in Eucharistia) se habet ad hominem patibilem (passionibus obnoxium): serescere enim faciens carnales concupiscentias, hominem ad immortalitatem contrahit, divinis immortalibus efficiens.» «Bibi ergo vinum cum lacte meo,» hoc est, bibi vinum et bibi quoque lac, vel bibi vinum cum lacte quod ante comederam, ut lactis frigiditatem vini calore temperarem et digererem.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

**COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO.** — Christus post myrrham, id est penitentiam et baptismum fidei, comedit favum cum melle in Eucharistia, in qua corpus suum manducandum nobis reliquit, imo illud ipsum cum apostolis in Eucharistiae institutione primus ipse comedit, ut apostolis et fidelibus illud comedendi et devote communicandi exemplum daret, ut docent S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Beda et alii in *Matth.* xxvi, et S. Hieronymus, quaest. II ad *Hedibiam*:

«Dominus Jesus Christus, inquit, ipse convivia et convivium; ipse comedens, et qui comeditur;» atque fructum sacramenti sensit Christus, scilicet novam actualem delectationem spiritualis dulcedinis, non tamen gratiae augmentum: haec enim in eo, cum esset summa, augeri non poterat, ut docet D. Thomas, III part. *Quaest.* LXXXI, art. 1, ad 3.

Porro corpus Christi in Eucharistia recte dicitur favus, primo, quia sicut favus continet mel, sic corpus Christi continet animam, inquit Honorius, ac divinitatem, quae est suavissima, ut mel; quia plena omni bono, gaudio, felicitate, quam et creaturis, praesertim hominibus pie sacramentum suum sumentibus communicat. Secundo, sicut favus ab apibus, quae virgines sunt, ex floribus in alveari conficitur: sic corpus Christi in utero suo ex purissimis suis sanguinibus formavit B. Virgo inoperante Spiritu Sancto; hinc Septuaginta et Arabici pro favum vertunt panem, quia Christus sub specie panis carnem suam nobis impertit. Tertio, sicut mel summe dulce est orationi et stomacho, sic Eucharistia miram instillat consolationem et delectationem spirituale, ac, ut Syrus verit, *suavitatem*: ita hunc locum de Eucharistia explicant Nyssenus, Psellus, Philo, Pappertus hic, et S. Ambrosius, lib. V *De Sacram.* cap. iii; legens enim cum Septuaginta, *manducavi panem cum melle meo*: «Vides, inquit, quod in hoc pane nullus sit amaritudo, sed omnis suavitas? Vides hujusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluat? quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu.» Hac de causa olim recens baptizatis dabatur Eucharistia; ac deinde lac et mel, ut illis suavitatem Christi et legis christianae representarent, ut superius dixi.

**BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.** — id est bibi cum apostolis, imo eis praebiti, et exemplum dedit devote bibendi meum sanguinem in Eucharistia latentem sub specie vini. *Cum lacte meo*: lac est deitas Verbi latens sub sanguine, ejusque pinguedo et dulcedo, ac dulcissima doctrina, gratia, inspiratio et consolatio, qua animam in spiritu nutrit, impinguat et exhilarat: sicut enim lac ex mamilla matris profluit, sic Verbum ex vi generativa Patris, quasi ex mamilla procedit, ut homines lactet, doceat et pascat: ita Clemens Alexandrinus, lib. I *Pedagog.* cap. vi, qui id confirmat ex I *Petri*, II, 1, ubi pro *rationalabile lac*, graeca est *ἰσχυρὸν γάλα*, per quod Clemens intelligit *verbale lac*, hoc est lac, quod est ipsum Verbum Patris aeterni; unde ipse sic legit, *tanquam modo geniti infantes verbale lac concupiscite*, ut in ipso crescat in salutem, si gustatis quod Christus est Dominus, id est Deus, q. d. Concupiscite bibere sanguinem Christi in Eucharistia, ut simul cum ipso Verbum ipsum ejusque deitatem, eum lac divinum bibatis, ita fiet ut crescat in gratia, quae vos ad salutem et gloriam deducet; si lacem gustatis, id est

gustu interno animae ex ipsa dulcedine Eucharistiae, Christique in animam illapsu cognovistis, quod Christus est Deus. Addit Clemens lac notare sanguinem Christi; lac enim non est aliud quam sanguis coactus, candidus et dulcis, ad alendum peridoneus. S. Augustinus vero in *Psalm.* xxxiii, conc. 1, docet Verbum esse *panem angelorum*, quod scilicet in se purum et merum pascit angelos; sed panem hunc specie externa videri mutatam in carnem, cum Verbum caro factum est; carnem vero in lac, cum, ut hominibus quasi parvulis lactescat, eosque ut lac nutriat, candidas, et quasi lacteas azymi panis species in Eucharistia induit: «Sicut, inquit, quia minus aptus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incurvat (id est, comedendo et digerendo vi caloris naturalis in carnem vertit), et per humilitatem mamillae, et lactis succum de ipso pane pascit infantem,» puta lacte, in quod convertit panem. Porro Christus in ultima coena personaliter bibit hoc vinum cum lacte, quia Eucharistiam primus ipse sumpsit sub specie tam vini quam panis; mystice vero idem bibit quotidie in fidelibus devote communicantibus: hi enim sunt ejus membra, ut ipse ait *Matth.* xxv. Quare quod ipsi bibunt, id ipsum Christus, qui est caput eorum, bibere videtur.

Symbolice, *favum cum melle* notat religiosam orationem et contemplationem (haec enim ipsis est instar mellis caelestis et suavissimis) deditos: hi enim in suis cellis latant quasi apes in favis, ibique mellificant, et melleos charitatis, orationis, patientiae, etc., fructus produunt. *Vinum* notat viros animosos zelo Dei ferventes, ut vitia castigent, et amorem virtutis ac Dei omnibus instillent: lac notat viros purae, simplicis et innocens vitae, ut docet S. Gregorius. Unde et Homerus viros justos vocat *γαλακτοπύτους*, id est *lacte vescentes*, inquit Clemens lib. I *Pedagog.* cap. vi. Favet Chaldaeus, qui censet Deum comedisse favum et bibisse vinum, cum holocausta, quae erant quasi eibus Dei, igne caelesti consumpsit et quasi devoravit: «Misi, inquit, ignem de caelis, qui consumpsit holocausta et victimas sacrificales; suscepta est voluntarie coram me libatio vini rubicundi et vini albi, quod libaverunt sacerdotes super altare meum.»

Anagocice Rupertus per *myrrham* accipit passionem et mortem Christi, per *favum* resurrectionem, per *vinum* ascensionem et missionem Spiritus Sancti, quasi dicit Christus: Post mortem resurrexi, et appares discipulis comedi favum mellis et partem piscis assi. «Bibi vinum cum lacte meo,» id est laetificatus sum ascensionis gaudio quod mihi omnium praeteritorum laborum oblivionem induxit: item dedit apostolis Spiritum Sanctum, qui unus idemque est et vinum meum, et lac meum: *vinum meum*, quia gaudium de praesentibus bonis; *lac meum*, quia consolatio de praeteritis malis. *Vinum meum*, quia dilectio

Dei; *lac meum*, quia dilectio proximi. S. Athanasius vero in *Synopsi* per lac accipit opera humanitatis Christi, sicut per *vinum* opera divinitatis: «Licet, inquit, lactis cibum corpori suo admiserit, incarnatum scilicet Verbum, tamen illi et vinum suae perfectionis imperiter: etenim quemadmodum lac comedit, ita et divinitatis opera in ipso perfecit.»

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Christus comedit in anima sancta, quasi in horto et paradiso suo, favum cum melle, cum ejus delictis et consolationibus spiritualibus, quas illi in oratione vel tribulatione, aut martyrio positae ad solatium et robur immitit, praesertim in sacra synaxi, se pascit et oblectat: hae enim eum melle dulcorat omnem tribulationis amaritatem: sanctorum enim delicta et consolationes Christi, qui eorum est caput et sponsus; hinc Christus «favos post mella gustavit,» ait Tertullianus, lib. *De corona militis*, cap. xiv, cum post fed ipsi in cruce propinatum, gloriose resurgens, favum mellis ab apostolis sibi porrectum comedit, ut hoc facti symbolice doceret animareque martyres et patientes ad constantiam, considerando sperando quod sicut Christus, sic et ipsi favos et mella post feila gustabunt.

Rursum comedit Christus *favum cum melle*, cum operibus sanctis suorum fidelium, quae enim ipsis est instar mellis caelestis et suavissimis) deditos: hi enim in suis cellis latant quasi apes in favis, ibique mellificant, et melleos charitatis, orationis, patientiae, etc., fructus produunt. *Vinum* notat viros animosos zelo Dei ferventes, ut vitia castigent, et amorem virtutis ac Dei omnibus instillent: lac notat viros purae, simplicis et innocens vitae, ut docet S. Gregorius. Unde et Homerus viros justos vocat *γαλακτοπύτους*, id est *lacte vescentes*, inquit Clemens lib. I *Pedagog.* cap. vi. Favet Chaldaeus, qui censet Deum comedisse favum et bibisse vinum, cum holocausta, quae erant quasi eibus Dei, igne caelesti consumpsit et quasi devoravit: «Misi, inquit, ignem de caelis, qui consumpsit holocausta et victimas sacrificales; suscepta est voluntarie coram me libatio vini rubicundi et vini albi, quod libaverunt sacerdotes super altare meum.»

Anagocice Rupertus per *myrrham* accipit passionem et mortem Christi, per *favum* resurrectionem, per *vinum* ascensionem et missionem Spiritus Sancti, quasi dicit Christus: Post mortem resurrexi, et appares discipulis comedi favum mellis et partem piscis assi. «Bibi vinum cum lacte meo,» id est laetificatus sum ascensionis gaudio quod mihi omnium praeteritorum laborum oblivionem induxit: item dedit apostolis Spiritum Sanctum, qui unus idemque est et vinum meum, et lac meum: *vinum meum*, quia gaudium de praesentibus bonis; *lac meum*, quia consolatio de praeteritis malis. *Vinum meum*, quia dilectio

Symbolice, Cassiodorus per *favum* et *vinum* accipit predicatores, quia suavia, sed ardentia S. Scriptura verba aliis instillant; per *mel vero* et *lact* accipit auditores, qui melleo et lacteo corde illa suscipiant: utriusque enim pascitur et delectatur Christus; sicut enim *favus* continet mel, et *vinum* continet spiritus calidos, quos bibenti aspirat: sic sacra Scriptura continet divinam doctrinam melle dulciorem et vino calidiorum.

Anagogice S. Gregorius hæc accipit de sanctis, quos Christus quasi comedit, dum eis fruitur in celo: « *Favum*, inquit, cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, et ad sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transigit. *Vinum vero suum cum lacte bibit*, quando et perfectione quorundam se reficit, et innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit. » Cassiodorus vero et Beda per *vinum* accipiunt sanctos quoad animam Dei visione fruentes; per *favum* autem, eos qui tam quoad corpus, quam quoad animam sunt beati, uti sunt patriarche, qui cum Christo resurrexerant, et in celum gloriosi ascenderunt: sicut enim *favus* continet mel, sic, corpus gloriosum continet animam gloriosam: utrosque enim « *taos* Christus comedit, dum eos corpori suo, id est Ecclesie triumphanti in celesti gloria exultant associat. Denique nonnulli comedere tribunt meditantibus, qui meditando quasi masticando divina gustant et sapiunt; *bibere* vero contemplantibus, qui illico contemplando quasi bibendo ut vina sorbent et hauriunt.

## TERTIUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et B. Virgine.

Christus in B. Virgine comedit mel, et bibit vinum cum lacte, primo, cum puer materno ejus lacte et melle pastus est, juxta illud, *Isai. vii, 15*: « *Bulrum* et *mel* comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum: » vide ibi dicta. Secundo, cum suavissima B. Virginis matris sue conversatione, sanctitate et charitate fruitus est usque ad annum trigessimum. Tertio, cum interna ejus puritate, religione, fide, spe, amore cæterisque virtutibus plus quam angelicus et seraphicus se oblectavit. Quarto, cum in celo ejus gloriosa humanitate elevata super omnes angelorum choros, usque ad solium SS. Trinitatis assidue perfuitur, et in æternum perfruitur.

## COMEDITE, AMICI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI, CHARISSIMI.

Sicut amicus gaudium plenus et quasi ebrius, inquit quasi superfluens in sinum amici diffundit: sic sponsus hic delicias mellis et vini quasi ebrius ad eandem amicos invitat.

INEBRIAMINI. — id est *saltantini*, et exhilarantini, sed intra limites temperantia, citra mentis alienationem, quam facit proprie dicta ebrietas: sic Joseph fratres suos inebriavit, id est copioso vino saluavit et exhilaravit, *Genes. xliii, 34*: sic de sanctis dicitur, *Psalm. xxxv, 9*: « *Inebriabuntur* ab ubertate domus tue: et torrente voluptatis tue potabis eos: » sic Apostoli, recepto Spiritu Sancto, videbantur ebrii musto non vini, sed Spiritus Sancti, *Actor. ii, 13*.

CHARISSIMI. — Pro *charissia* i hebraice est *דודים*, *dodim*, id est *amores*, id est *summe dilecti*, et quasi *ad ubera patris*; Septuaginta vertunt, *fratres*; Symmachus, *fraterni* vel *fratruales*; Aquila, *sodales*; Syrus et Arabicus, *patruales*; S. Ambrosius, *lib. De Cain et Abel, cap. v, patres*. Posset quoque *dodim* accipi in ablativo, ut veritas: *Inebriamini amoribus vel uberibus, q. d. Inebriamini vino, melle et lacte*, quod liberali et summo amore vobis exhibeat sponsus et sponsa: sic dicitur de sponsa, *Proverb. v, 19*: « *Ubera* ejus inebriant te in omni tempore; » alii vertunt, *amores ejus inebriant te*. Et *cap. vii, 18*: « *Veni, inebriemur uberibus (alii, amoribus), et fruamur cupillis amplexibus; »* utrumque enim significat *dodim*. Vnde ibi dicta: *quanquam mihi verius videatur dodim significare amores; daddim vero ubera*, uti dixi *cap. i, vers. 4*.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Primo, Cassiodorus, Honorius, Beda, Sanchez et alii per *amicos* et *charissimos* intelligunt angelos, quasi Christus eos hic invitat, ut sibi congaudeant et quasi coepulentur de profectu, gratia et gloria suorum sanctorum, eique cooperentur ex animo, ut eos quasi in viscera sua trahant, ut puta suos fratres et coheredes.

Secundo, Philo Carpathius per *amicos* intelligit patriarchas et prophetas, qui de Christi passione et morte multa Deo revelante cognoverunt, ut de ejus doctrina bibisse videantur; per *charissimos* vero accipit apostolos, quia spiritu Christi, quasi inebriati in die Pentecostes, eructaverunt magnalia Dei. Hæc accedit Justus Orgetitanus et Anselmus, qui per *amicos* et *charissimos* accipiunt doctores et predicatores, qui comedunt peccata et peccatores, cum eos ad Christum convertunt: qua conversione ita latentur et gaudio quasi inebriantur, ut omnium dolorum et laborum, quos in conversione sustinuerunt, obliviscantur.

Tertio, planius et plenius S. Gregorius et alii per *amicos* et *charissimos* accipiunt quoslibet fideles et justos, qui primo hic invitantur a Christo ad S. Eucharistie synaxim: illa enim suo spirituali gustu et dulcedine quasi inebriat animam, ut omnium obliata non nisi Christum cogitet et amet. Sed ante hanc vini mellisque in Eucharis-

tia degustationem oportet præmittere myrrham, id est mortificationem, penitentiam et confessionem peccatorum, præsertim mortalium, uti definit Concilium Tridentinum, *sess. XIII, cap. vii*; hinc præmisit, *fiens, missivo myrrham*: ita Nysæus, Philo, Rupertus et alii.

Audi S. Cyprianum, *epist. 64 ad Cæcilianum*: « *Quin ebrietas dominici calicis et sanguinis non est talis qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus Sanctus in Psalmo, Psalm. xlii, 5: Calicem meum inebriam, addidit: Quam peroptimus*, quod scilicet calix dominicus sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spirituales sapientiam redigat: ut a sapore isto seculari ad intellectum Dei, unusquisque respiciat, et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et tristitia omnis deponitur, ita epoto sanguine Domini et poculo salutaris, deponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinae secularis, et mestum pelus ac tristo, quod prius peccatis argentiibus premebatur, divino indulgentiæ lictitia resolvatur. » Ebrietas ergo spiritualis, quam inducit sacra synaxis, est alienatio mentis ab amore carnis et mundi, a curis et sollicitudinibus hujus sæculi, ejusque traductio et excessus ad amanda celestia, ut uni Christo inherens et unita, amet crucem, sicut cum eo multa pati amore Dei. » Hæc ebrietas, ait S. Ambrosius, *lib. 4 De Cain et Abel, cap. v*, sobrios facit; hæc ebrietas gratiæ, non temulentia est; lætitiæ generat, non turbantiam; » et S. Bernardus, *tract. De diligendo Deo*: « *Sobria*, ait, illa ebrietas, vero non mero ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo. » Fusc hæc ebrietatem explici, *Actor. ii, 13*, ad illa, « *musto pleni sunt*, » ubi octo analogias ebrietatis spiritualis et corporalis recensui. Hæc pertinet versio Chaldaea, qui judaice hæc accipit de commensatione victimarum, quæ typus erant Eucharistia: « *Nunc*, inquit, venite, sacerdotes diligentes præcepta mea, et comedite quod relictum est de oblationibus, et delectamini bonis quæ preparata sunt vobis. »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Christus hic, primo invitat fideles ut gaudeant, tum myrrha, id est tribulatione (hæc enim est esca piorum), tum *favu, vino et lacte*, id est profectu virtutum et consolationibus spiritualibus, quas tum eis, tum eorum proximis Christus immittit: hoc enim gaudium est cibus, refectio et pabulum Christi, et sanctorum: ita Cassiodorus et Beda.

Secundo, tres Anonymi apud Theodoretum, Richardus et S. Bernardus, *lib. De Diligendo Deo*, sub finem, censent hic invitari fideles ad studium meditationis et contemplationis, ut per eam di-

vina dulcedine perficiantur; unde S. Ambrosius, *Psalm. cxvii, serm. 13* ad illa: *Quam dulcis fuerit meis eloquia tua, super met et favum ori meo!* « *Bona ebrietas, alii, quæ ad meliora atque jucunda facit quendam mentis excessum, ut immemor sollicitudinum amicus noster vino juvenilitatis hilaretur: bona mensa spiritualis ebrietas; »* unde S. Gregorius docet amicos *libere*, id est communes fideles verba Dei legere et servare, charissimos vero, id est perfectos, iis plane *inebriari*: « *Sunt vero alii*, inquit, qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt, vel legunt, ut profusus cunctis terrenis operibus abdicatis, sola celestia ambient; parentes, uxores, domos, filios etiam, et omnia transitoria abijciant; solummodo Christum sequi, et amplecti concupiscunt. Ejus desiderio se affligunt jejunis, affligunt lacrymis, exerceant meditationibus divinis, sola que sunt eterna cogitant, contemplationibus vacant ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora magis ac magis extendant. Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur, ut dum omnium tororem per desiderium obliviscantur jure a sponso celesti non tantum amici, sed et charissimos vocari mereantur? »

Hinc mystici et contemplativi hæc referunt ad ebrietatem spirituales, quæ contemplator, ut ait noster Salianus *De Amore Dei*, Deo in cor ejus inhabente, tanto voluptatis torrente perfunditur, ut se continere non possit, sed motibus gestibusque insolitis ingentem interioris voluptatis vim prodere cogatur: cor enim in ista prævia unione cum Deo tam acri stimulo divini amoris et desiderio divine fruitionis inflammatur, et apertis poris velut ad capiendum beum, adeo dislenditur, ut pectus ei nimis arctum videatur: ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate tanquam oleo nutritur et invalescit, foras violenter erumpit musti ebullientis more, quo novæ lagunculæ dirumpuntur. Quod olim apostolus die Pentecostes videtur accidisse, cum Judæi musto madere putabant, quos Spiritus repleverat.

Hinc illa cantica, gemitus informesque soni, plausus etiam, saltusque et cursus, quos de quibusdam sanctis B. Francisci discipulis legimus, qui motus spiritui divino agitantur potius quam naturali animantibus tribui debent. Tales quoque fuere in ipso S. Francisco, cum a Deo revelationem suæ predestinationis accepit: tunc enim manibus plaudens, pedibus plodens, totoque corpore tripudians, illi gaudio exsultavit, ut ebrius, imo amens mentisque impos ab adstantibus censeretur.

Anagogice invitantur hic sancti ad epulum celestis gloriæ et felicitatis, quæ recte vocatur *quibus melis et vini*, quia in ea percipitur, gustatur, imo penetratur divini essentia immensa suavitas et dulcedo; idque sine ullo velo, vel intermedio, adeo ut beati ea plane obviantur, absorbantur.

et inebriantur, juxta illud, *Psalm. xxxv. 9*: « Inebriabuntur ab uberitate domus tuae: et torrente voluptatis tuae potabis eos: » ita S. Bernardus, *serm. De Aqueductu in Natro. B. Virginis.*

## TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Christus invitat angelos et sanctos omnes ad hortum et paradysum omnium deliciarum, puta

spiritualis vini, mellis et lactis, id est orationis consolationis, gratiae et gloriae, quem plantavit in anima B. Virginis, ut sis se pascat et inebriant, illaque per meditationem et imitationem sibi incorporant, ac in stomachum mentis traiciunt. Qui ergo B. Virginis sunt devoti, ejus inestione et imitatione producant myrrham mortificationis, aromata pietatis et orationis, favos devotionis et charitatis, lac honestatis, vinum fortitudinis pro Dei obsequio, omnia quantumvis dura et ardua superantis et transcendentis.

## QUARTA PARS DRAMATIS,

SIVE

## QUARTA PARS LIBRI,

IN QUA DESCRIBITUR ECCLESIAE, ID EST FIDELIUM DEFECTUS ET DECLINATIO.

Ita enim prima parte a cap. 1 usque ad cap. 11, vers. 8, descripsit Ecclesiam infantiam; secunda vero parte a cap. 11, vers. 8, usque ad cap. 11, vers. 6, descripsit Ecclesiam adolescentiam; inde autem usque ad cap. 11, vers. 2, puta hucusque, quasi tertia parte descripsit ejusdem perfectionem, et quasi virilem aetatem: sic nunc ab hoc versu usque ad cap. 11, vers. 3, depingit Ecclesiam quasi veterascentis declinationem, et velut senectutem. Hanc autem pati capit Ecclesia post tempora Constantini, quando, plena pace Ecclesia ab ipso data, ejusque jure et dominio per totum orbem propagato, cepit multorum potentum luxus et ambitio, quae Ecclesiam in varias hereses et schismata distraxit: quo factum, ut ipsi ceterique fideles in desiderium, qualem, hucusiam, cateraque vitia defluerint. Principium mali fuit Arius, qui plerosque episcopos in suam sententiam traxit, adeo ut in Concilio Ariminensi damnato Homoousii et Nicena Synodi, fraude Valentis et Ursatii arianorum episcoporum, sit conclamata, totusque quasi orbis, ait S. Hieronymus, Arianam se esse miratus sit. Origo mali fuit praetorum nonnullorum negligentia, avaritia et superbia. Cum enim dormirent homines, venit inimicus (*diabolus*), et supereminavit zizania in medio tritici, *Matth. xiii. 25*. Unde tunc plerique fideles in voluptates effusi Ecclesiam suam crapula, libidine, improbitate conspurcarunt; sanior tamen Ecclesia pars in fide et sanctitate persistit. Ita Cosmas Damianus.

## VOX SPONSI.

VERS. 2. EGO DORMIO, ET COR MEUM VIGILAT: VOX DILECTI MEI PULSANS: APERI MIHI, SOROR MEA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, IMMACULATA MEA: QUIA CAPUT MEUM PLENUM EST RORE, ET CINICINI MEI GUTTUS MEUM.

EGO DORMIO, ET COR MEUM VIGILAT. — Hebraea, *ego dormiens et cor meum vigilans*, id est, ut rabinus anonymus vertit, *ego dormiebam, et cor meum vigilabat*: representant enim rem praeteritam quasi praesentem, uti in scena fieri solet, *g. d.* Ecce ego dormio, id est dormiebam, etc., cum illico vox dilecti pulsantis insonuit: narrat enim hic sponsa (ut recte docent Nyssenius et

S. Ambrosius, *De Isaac et Anima*) mane expectata sociabus adolescentibus suis nocturnum somnium, sive quid sibi post hesternum cum sponso in horto epulum, eunti cubitum noctu contigerit, scilicet se dormiente vanisse sponsum ac pulsasse, ac dum ipsa pigritaret, et aperire moraretur, sponsum hanc pigritia et inurbanitate offensum alio abiisse: quare illam desidia justas dedisse penas, cum lecto tandem surgens diu frustra eum quaesivit, atque a custodibus civitatis muletata, et pallio privata fuit. Porro noster Sanchez per hyperbaton hinc orditur seriem dramatis totius Cantici; sponsa enim quaerens inquit, dixitque: « Osecutur me osculo oris sui. » Unde quae hic dicuntur videntur eadem esse cum illis, quae dicta sunt cap. 1, vers. 6. et cap. 11, vers. 1

et sequent. Verum hoc hyperbaton durius videtur, ac totam dramatis seriem invertere, uti dixi initio.

## PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Primo, R. Salomon dicit *ego dormio* ad sponsam referit; vero *cor meum vigilat* ad sponsum, *g. d.* Dum ego sponsa dormio, sponsus, qui est cor meum, vigilat et saluti meae sollicitus invigilat: solent enim amantes se invicem appellare *cor meum, anima mea, vita mea*, quia se invicem amant, quasi cor proprium, quasi vitam et animam suam; hinc collige quam anima Deo unita et desponsa seure in eo conquiescat, quantisque animi gaudis exsulet, utpote quae cor suum in divino, ac divinum in suo corde collocavit. Verum simpliciter et germane utrumque ad sponsum pertinet, *g. d.* Ego quidem post epulum noctu dormiebam, sed cor meum, id est imaginatio et mens mea vigilabat, quia semper cor, id est phantasia mentemque meam urebat amor, desiderium et memoria sponsi: quare levis erat hic somnus meus, atque adeo dormiens non dormiebam, sed vigilabam, id est cogitabam vel somniabam de sponso: nam qui plane placideque dormiunt, non somniant, ut docet Aristoteles in *Problema*, sect. 11, num. 13; unde Climachus, *grad. 30*: Ego, inquit, propter naturam necessitatem dormio, sed cor meum propter amoris copiam vigilat. Secundo, S. Gregorius, Philo, Lucas, et S. Ambrosius, lib. III *De Virgine*, qui legit, *ego dormivi, et cor meum vigilat*, censent haec esse verba sponsi, illique utramque, scilicet et dormitionem et vigiliam, attribuant. Tertio et genuine, Theodoretus, Cassiodorus, Nyssenus, Beda, Hieronimus et ceteri censent haec esse verba sponsae, omniaque illi assignant, scilicet aiunt illam dormisse, sed leviter, semper eam cogitasse et somnasse de sponso: somnus enim infringitur per somnium, ut dormiens, seu somnians vigilare potius quam dormire videatur, juxta illud: « Somnia sunt vigilia dormientium; spes autem somnia sunt vigilantium, » quod Platon tribuit *Eliaeno*, lib. XIII *De Varia histor.*; Aristoteli vero Laetius, lib. V, cap. 1. Dormiebat Ecclesia, id est plena pace fruebatur tempore Constantini, sed vigilabat corde, id est rationi, amori, et contemplationi intendens cum Deo agebat.

Sensum hujus loci genuine et particulatim praestitit Honorius Augustodunensis: « Hucusque, inquit, plentidum gentium intravit: ab hinc usque ad ingressum Synagogae notatur tempus pacis Ecclesiae: finito itaque convivio victorum, regina ivit dormitum, dicens cubiculi exorbitatoribus: si rex me quaerit, dicite: Quia ego dormio, et cor meum vigilat, ut eum excipiat. Quasi magnum convivium Ecclesia cum victoribus habuit, quando magnum Concilium Ecclesia cum

confessoribus habuit in Nicasa civitate, in qua varia fercula erant diversa Scripturarum capita: quo finito, ivit dormitum, quia ibi damnata est omnis haeresis, persecutio cessavit, quibus pacis rediit, et Ecclesia curis seculi se subtraxit, divina officia instituit, divinae contemplationi vacavit: quae modo dicit hominibus imperfectis, terrenis adhuc inhiantibus, meo exemplo terrena postponite, caelestia quaerite; sicut ego dormio, id est a negotiis et curis saeculi quiesco, et cor meum in meditatione Scripturae, et in contemplatione aeternae vitae vigilat, et in contemplatione Regina dormiente, dissenso inter milites est exorta, non ab hostibus, sed ab otio nata: qua crescente, rex reginam excoecit, monet ut surgat, tumultum militum composit; scilicet Ecclesia in contemplatione quiescente, multa vitia inter fideles exorta sunt, novae hereses, discordiae, sectae, schismata et alia plura. Unde Christus per Scripturas eam monuit, ut quietem contemplationis intermitteret, tumultum vitorum exhortando, corrigentique sedaret. »

Rursum, Cosmas Damianus per *dormitionem* accipit desidiam, otium et luxum pastorem, et praetorum Ecclesiae, quae causa fuit cur ipsa quasi senescens declinavit a primo fervore et splendore: Sponsus Christus, inquit, cum in caelum abiret, mihi Ecclesiae sponsae suae, id est pastoribus Ecclesiae otium et luxum interdixit; evangelicam functionem, et pauperum curam injunxit: sobriam vigilare jussit, et horam qua rediturus ipse sit, sollicitam observare; ego vero, abjecta functione evangelica, otio nunc et luxu diffuso, commissum meae fidei sponsi mei familiarium suo demenso frando; nec jam mihi cura est, quod illi fame et frigore confecti pereunt, alii odiis et intestinis bellis furentes, mutuo sese conficiunt; alii ignorantiae tenebris offusi, in hereses et omnium vitorum barathrum feruntur praecipites, dum ego purpuram et byssum proflido induro, auro et gemmis fulgeo, laute quaedam, lautius caeno, cruda labor, ex balneis suffumigata et peruncta in mollia strata me recipio, ibique clauso ostio nec expectato sponso meo Christo (ut olim adultera Synagoga, hoc ipso turpiter repulso et excluso sponso suo, dormiebat), in somnum defero, nec solem orientem unquam video. At hoc quid aliud est, quam, positis vestibus et calcceis evangelicis, dormire vitamque in luxu et somno, Synagogae more, transire? Verum enim vero conscientia ignaviae et socordiae, ac luxuriae meae testis perpetuo vigilat: haec ipse turpiter accusat, damnat, et velut me insonnia suspensa territat. Quin sponsi mei nomen et numen in primis horreo, quem de nocte ad ostium cordis mei pulsantem, atque inclamantem mihi videor exaudire, aperi mihi, soror mea.

Huc facit illud S. Gregorii, III part. *Pastor*, cap. vi: « Piger recte sentiendo vigilat, quamvis nihil operando torpescat. »

Porro S. Gregorius hanc gnomen de Christo sposo sic exponit: « Dormit, inquit, sponsus et cor ejus vigilat, quia dum Christus jam gloriosus in beatitudine quiescit, quicumque eum perfecte diligit (hic enim est cor Christi) ut ad ipsum perveniat, laborat. » Psellus vero et Philo Carpathus dicunt Christum dormisse in morte, quibus tamen sua divinitate apostolos et fideles suos protegendo, et, ut ait Philo, inferos spoliando, unde moraliter discant prelati, se, etiam si aliis rebus occupantur, adeoque cum dormiant, mentis tamen debere grægi suo invigilare et exohare, ne quis lupus aut fera eum invadat.

Hæc perinet versio Chaldaei, qui hæc exponit de virga vigilante, Jerem. 1, 11, id est de Dei vindicta exorbante, ut Judæos castigaret per Chaldaeos: « Post omnia, inquit, verba hæc peccaverunt populus domus Israel: regis Babylonis, et adduxit eos in captivitatem, et erant similes in captivitate viro dormienti, qui non potest expergisci de somno suo; et vox Spiritus Sancti admonet eos per manus prophetarum, et exolat eos de somno cordis eorum. »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Anima sancta, mystice dormiens, corde vigilat, cum a concupiscentiis et curis secularibus libera, uni Deo ejusque amori et cultui vigil intendit: ita S. Ambrosius, *Eclor.* ad Virg., sub medium: « Dormiat, inquit, caro tua, vigilet fides, dormiant illecebæ corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi et sepulchri odorem, ut nihil iis somnus caloris infundat, nullos excitet motus. » Et S. Gregorius, lib. V *Moral.* xxx: « Ego dormio, inquit, et cor meum vigilat, quia videlicet sancta mens, quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit; et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Jacob in itinere dormientem figurat, qui ad caput lapidem posuit, et obdormivit: a terra scilicet inhaerentem, innixum scilicet Deum, ascendentes quoque et descendentes angelos vidit. » *Genes.* xxviii, 12 et 13. Et pluribus interjectis hanc anime dormientis vigiliam explicans: « Sancti, ait, a mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiant quam vigilare poterunt, quia in eo quod actiones hujus sæculi deserunt superant, robuste conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio per desideria immunda frigescat, ne in ipsis desideris plus justo inferveat, ne sub discretionis specie sibi præparendo a perfectione languescat. Agit hæc, et ab hujusmodi

inquieti concupiscentiæ se penitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, et per quietis studium virtutibus intenta vigilans dormit: neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his que exterius implotant, sine se subtrahatur, juxta illud, *Psalm.* xlv, 11: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus. »*

Rursum nonnulli per somnum hic accipiunt extasim, qualis fuit somnus Adæ, *Genes.* ii, 21: extasim enim, sopitis sensibus, quasi dormiens totique rapitur ad contemplanda divina: ita Solomajor. « Istius vitalis vigilique sopor sensum interiorem illuminat: revera dormitio est, quo tamen sensum non sopiat, sed abducit, » ait S. Bernardus, *serm.* 52. *Non sopiat, id est non extinguit, sicut sopitur ignis, dum injecta aqua extinguitur; unde Joannes Carmelita sic exponit: Ego dormio, et cor meum vigilat: ego vix sensibus ad vitam fungor externam: voluntus vero mea in sponsum hians vigilat. Ad litteram anima dormiens vigilat, cum ita per diem sanctis meditationibus, affectibus et amoribus se implet, ut noctu de eisdem somniat, imo dormiens eisdem iterat, ut faciebat S. Franciscus Xavierus; que enim vigilantes studiosè cogitamus, de his dormientes somniamus: recurrit enim in somnia diurnarum cogitationum imagines, sicut ex citharæ pulsu resultat resonantia tinnituum fidium, quæ auditur, cessante pulsu. Unde Claudiamus, *be. Rapt. Proserp.* lib. III, canit:*

Omnia que sensu voluntur vota diurnæ,  
Pectore sopito reddidit antica quies.

Quocirca signum perfectæ virtutis est, de eadem somniare, illanique quasi somniando exercere: unde Aristoteles, lib. I *Ethic.* cap. xiii, ait: « Modestorum quam aliorum meliora fieri visa. » Et Plutarchus, lib. *De Perfectu morum*, inter alia signa perfectus in virtute hoc assignat: « Si quis noctu nullas fecdas, vel rixosas patitur phantasias: » quocirca Cassianus, Climachus et alii docent perfectum et quasi summum castitatis gradum esse, si quis nil impuri, sed omnia pura et sancta somniat. Audi Climachus, *gradus* 13: « Pædicus est ille, qui in somnis quidem nullam motum, nullamque status sui mutationem sentit. Pædicus est ille, qui et in somnis perfectam semper insensibilitatem in corporum specie et vanitate possedit. » hæc regula hujusmodi finis est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita annotata sicut inanimata intueamur, atque ita ratiabilibus ut brutis corporibus alliciamur. Audiat Laurentius Justinianus in *Ligno vite*, tract. *De Continentia*, cap. vi: « Sextus (ultimus et summus) castimonie gradus est, ne illecebrosi phantasmatibus feminarum, vel dormiens illudatur: licet enim hanc indiffinitionem peccato esse obnoxiam non sit credendum, concupiscentiæ tamen adhuc latitantis medullitis indium est. » Ergo dicat plane castus: « Ego dormio, et cor meum

vigilat, » id est, ita corpus meum dormit, ut habeat sua puritatis custodem. Cor meum vigilat: illa virtus, quam Deo donante post multos gemitus et postulationes accepi, illa que mihi cordi est, quamque non aliter quam proprium cor diligo, vigilat super me, et cingit me propter timores nocturnos; vel cor meum vigilat, hoc est, Spiritus Domini, quo eum corde vivifico et colesco, vigilat cum ego dormio, ut in somno immunda non patiar, sed aliquid simile eis, que in vigilia soleo acitare, periciam. « Est enim, ut ait S. Ambrosius, lib. III, epist. ad Amisium, sanctorum somnus feriat ab omnibus corporis « claptibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti invehens, placiditatem anime, ut tanquam soluta nexu corporis se ablevet, et Christo adhaerent. » Plura hæc de re dixi, *Deuter.* vi, 7, ad illa: « Meditaberis in eis, etc., dormiens atque consurgens. »

Porro S. Augustinus, tract. 57 in Joannem, docet studiosos sapientiæ dormire, et corde vigilare: « Quid est, inquit, ego dormio, et cor meum vigilat, nisi ita quiesco, ut audiam? otium meum non impendit nutriendæ desidie, sed percipiendæ sapientiæ. Ego dormio, et cor meum vigilat, vaco et video quoniam tu es Dominus, quia sapientiam scribo in tempore otii, et qui minoratur actu ipse percipit eam. Ego dormio, et cor meum vigilat: ego requiesco a negotiosis actibus, et animus meus divinis intendit affectibus: sed in iis, que isto modo suaviter et humiliter requiescunt, dum piæ oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille qui ait, *Math.* x, 27: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, predicatè super tecta. »*

Tropologice Theodoretus: « Licet, ait, a natura cogar oculos claudere et somnum capere, mente tamen vigilo, et ignavie somnium minime suscipio, cum sponsi adventum expectem, juxta consilium Domini dicentis, *Math.* xxiv, 42: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. »*

Amogice Justus Orgelitanus sic exponit, q. d. « Propter Christum mori paratus sum, sed post mortem cum ipso regnaturum me credo. Ergo etiam a temporalibus delectationibus, consopitis quodammodo sensibus, conquesco, sed futura desidero, æternæ conquiro. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

B. Virgo dormiebat, et tamen corde vigilabat, primo, mystice, quia curis secularibus vacua et quasi indormiens, tota rebus celestibus intendebat. *Sermones*, quos per diem tanto fervore rapiebatur ad divina meditando, et ad continens amoris erga Deum actus, ut eisdem dormiendo et seminando iteraret, imo ut illi modicum ejus somnum crebro abrumperet, ac ipsa expectata

et vigilans in solitis hæc amoris mens esse confunderet: quare tota ejus vita fuit jugis et continua quedam contemplatio. Tertio, multi probabiliter opinantur B. Virginem, sopite inter dormiendum sensibus, per singularem dei donum mentem habuisse solutam et vigilantem, ut liberos actus eliceret, ac in ardentia orationis et amoris suspiria erumperet: hoc enim hæc verba, *ego dormio, et cor meum vigilat*, præcisè significant, quæ nulli fidelium ita proprie competunt, ut B. Virgini, uti recte explicat Rupertus: « Multarum, inquit, animarum fuit et est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est a terrenis curis vacare, et in celestibus per contemplationem corde vigilare: verum etiam eodem modo que et Jacob tunc dormivit, secundum corpus dormire, et secundum animam per somnum caelestia videre, juxta illud, *Joel.* ii, 28: *Senes vestri somnia somniant, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed, o tu, celum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilantie modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus, longe eminentior existit, longo studiosior ad contemplandum eum, in quo desiderant angeli prospicere, atque aptior fuisti. » Et S. Ambrosius, lib. II *De Virgine*, loquens de B. Virgine: « Dormire, inquit, non prius cupiditatis, quam necessitatis fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat. » Et S. Bernardus, tom. II, *serm.* 51, art. 1, cap. II: « Somnus, inquit, qui abyssat et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo quod talia in Virgine fuerit operatus; sed anima ejus libere, ac merito actu tunc tendebat in Deum; unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius, dum vigilavit. Unde ipsa ait, *Cant.* v, 2: *Ego dormio, et cor meum vigilat*, scilicet in contemplatione perfecta a nulla actione debilitata. » Et Dionysius Carthusianus hic: « Hoc, inquit, sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplatissimam vitam duxit, et ab exteriori tumultu, omni inordinato strepitu et cura superflua, atque inquietudine culpe penitus abstinens et sopita, vigilantissima mente Deo vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibusque virtutum in termino excellentie perfectissimè jugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor ejus pervigil fuit, ex assidua assuetudine perfecte insidendi divinis, ex ardentissima et exercitissima charitate, ex splendidissima et exuberantissima sapientia sibi infusa, et contemplatione in vigiliis, pene aut prorurs continue, etiam tempore somni vigili corde fuit Deo conjuncta, et pro commissis sibi Ecclesia vigilare non cessabat. »*

Sic quoque de B. Virgine in somnis operante et Deum amante, explicat hæc verba Albertus Magnus, S. Antoninus et alii, quos citat et sequitur

Franciscus Suarez, III part., Quæst. XXXVII, art. 4, disp. 18, sect. 2, sub finem, idque probat *primo*, quia Adæ et Evæ id concessum docet Augustinus, lib. 1 *Contra Julianum*, cap. ix: « Tam felicia, ait, erant somnia dormientium, quam vita vigilantium; » ergo multo magis Virgo tam felix fuit dormiendo quam vigilando. *Secundo*, quia ange<sup>l</sup> ex quo in primo instanti nate creationis conversi sunt in Deum, nunquam ab illius actuali amore cessaverunt; ergo multo magis id credi potest de B. Virgine angelorum regina; unde S. Bonaventura, S. Bernardinus et nos- ter Canisius tradunt pluribus sanctis revelatum esse, quod B. Virgo integras fere noctes orando et meditando traduceret. *Tertio*, quia B. Virgini data fuit scientia per se infusa, qua uti posset sine conversione ad plantisnata: quare etiam noctu dormiens sopita plantasia, illa uti potuit.

VOX DILECTI MEI PULSANTIS: APERI MIHI; SOROR MEA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, IMMACULATA MEA.

Quasi dicat: Ego dormiebam, sed corde vigilabam, id est, per somnium cogitabam et sollicita eram de sponsa, cum ecce audio eum ad ostium pulsantem mihi que dicentem: *Aperi, soror mea*, etc., ubi adverte sponsum tot icilius pulsare ostium mentis sponsæ, quot ei amoris iudicis et obligationis suggerit, q. d. O sponsa, tu es *soror mea*, quia ego carnem assumendo dignatus sum fieri frater tuus; *aperi ergo mihi* fratri tuo. Insuper amore te preveni, teque amicitia mea dignatus sum; *aperi ergo, o amica*, adeo amantem te. Adhæc *columba mea* es, id est, castissime mihi uni desponsata es, ut columba suo columbo, que alium marum non novit: *aperi ergo mihi* sponso tuo unico. Denique *immaculata es* (hebraice *תהא תמימה*; Septuaginta *καθα*, id est *perfecta* es; *aperi ergo mihi*, qui tuæ puritatis et perfectionis sum auctor, conservator et promotor: dum enim, te aperiente, per tuum consensum in te ingredior, tuas maculas mea puritate detergo. Justus Orgetanus: « *Soror*, ait, Christi est Ecclesia, quia de sanguine ejus; *amica*, quia per mortem ejus reconciliata; *columba*, de Spiritu Sancto; *immaculata* baptismi sacramento. » Philo Carpathius cum Septuaginta legit, *aperi mihi, propinqua mea, soror mea, columba mea, perfecta mea*; sicque explicat: « *propinqua* creatione, *soror* incarnatione, *sponsa fide*, *columba* salutaris unde, et Spiritus Sancti regeneratione, *perfecta* ex charitate. »

## PRIMUM SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Jam sponsa Ecclesia ostium cordis aperuerat sponso, totumque cor illi traderat, ut patet ex illo, cap. II, vers. 16: « Dilectus meus mihi et ego illi; » pulsat tamen illud hic sponsum, ut

sponsa Ecclesia proximorum quoque clausa corda per suos concionatores clave prædicationis aperiat, ait Cassiodorus. Beda, Honorius, Justus Haymo, Richardus, Anselmus, Rupertus et alii. Porro jam ante, cap. II, vers. 10, sponsus pulsarat ostium sponsæ, sed acotesentula adhuc, illamque excitarat ad procurandam Judæorum in Ecclesia primitiva salutem, hic vero pulsat ostium ejusdem jam adultæ sub Constantino, illamque stimulat ad procurandum omnium gentium, ac præsertim hereticorum et impiorum conversionem: sub Constantino enim gaudebat Ecclesia plena pace, quare multi prelati dabant se otio sancte quietis et contemplationis; ab illo ergo otio hic eos advocat Christus ad negotium prædicationis: ita S. Augustinus, serm. 57 in *Josue*: « *Ego dormio*, inquit, *et cor meum vigilat*; ego requiesco a negotiosis actibus, et animus meus divinis se intendit affectibus; sed in his que isto modo suaviter et humiliter requiescent, dum otiose oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille, qui ait, *Matth. x, 27: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in luminis, et quod in aures auditis, prædicare super læta.* » Et paulo post: Pulsat ergo ut excutiat quietem sanctis otiosis, et clamat: *Aperi mihi de sanguine meo, soror mea*; de accessu meo, *proxima mea*; de Spiritu meo *columba mea*; de sermone meo, quem plenius ex otio didicisti, *perfecta mea*; *aperi mihi*, prædica me: ad eos quippe qui clausurunt contra me, quemodo intrabo sine aperiente? *Quomodo enim audient sine prædicante?* » Rom. x, 24.

Audi Honorium singula præcise et particulatim adaptantem « hæc verba significantia Christi sollicitudinem erga negligentes et errantes, ut per spirituales corrigantur, et Ecclesiam fervorem ad contemplationem, et lætium ad sacellum administrationem. Christi ad ostium cordis fidelium pulsantis vox est: O Ecclesia *soror mea*, quia per me coheres regi; *amica mea*, quia per me celestium arcanorum conscia; *columba mea*, per me Spiritu Sancto repleta; *immaculata mea*, quia per me a peccatis emundata, *aperi mihi* exhortando ostium cordis eorum, qui illud pessulo malorum operum clausurunt, et guttæ noctium, id est membra demonum facti sunt, et eris *soror mea*, si exheredes per malitiam, per gratiam feceris coheredes meos; eris *amica mea*, si inimicos ob perfidiam feceris amicos per fidei constantiam; eris *columba mea*, si duplices corde feceris simplices; et eris *immaculata mea*, si maculatos vitis feceris immaculatos virtutibus. » Prosequitur deinde sequentia in hunc modum: « *Quia caput meum plenum est rore*, hoc est, fides divinitatis meæ repleta est errore, et *cineamini mei* pleni sunt peccatis demonum; *quia caput meum Deus*: per caput intelligitur fides divinitatis; per *rorem* qui in nocte cadit, et solis ardore recedit accipitur error indelictatis, qui de nocte ignorantie venit, sed luce

veritatis recedit: *cineamini*, id est capilli, sunt *Sidæ* les per fidem capiti Christo adherentes: *guttæ noctium* sunt lapsi a fidelibus, ut guttæ de capillis, in sententias hereticorum, vel in peccata demonum, qui sunt noctes ad æternas tenebras ducentes. Horum cordis ostium aperi mihi, ut intrem per gratiam, et habitem per fidem in cordibus, et mansionem mihi in mentibus eorum faciam per bonam operationem. »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta

Anima sancta hic vocatur ad majorem sanctitatem, ut ipsi intima cordis aperiat, illaque ipsius pleniore cognitione et amore repleat: ita Nyssenens et S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. vi, qui ait Christum pulsare et intrare in animum per januum devotionis et orationis: « Etsi dormias, inquit, si modo devotionem anime tue aperis Christus, venit et pulsat ejus januum, et dicit: *Aperi mihi, soror mea*, quia nuptie spirituales sunt Verbi atque anime: aperi mihi, sed extraneis claudere, seculo claudere, neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras: aperi ipsam te mihi, non coarctari, sed dilatare et adimplebo te. » Audi Philonem Carpathium: « Quicumque Deo pareat, et illius præcepta studiosissime conservat, is se quotidie ad januum cordis acciri et admoneri sentit, ad meliora semper et altiora charitatis opera facienda, quod appellationes ipse significant. » Ait ergo Christus: O anima sancta, aperi mihi, ad intus tuæ anime sinus penetrare satagenti: quot enim assensus præbes, tot mihi recessus aperis, in quos festinus illabor; ad recludenda vero ostia moneo te, quia es *amica mea*; unde ex amicitia lege, anguli sinusque domus tuæ universi mihi tecum debent esse communes, quia *soror mea* es a patre meo in filiam adoptata, et assumpta natura germanitate conjuncta: quamobrem quos in natura et gratia Deus conjunxit, separari, et ocellus janua nefas est arceri.

Rursum, Christus animam jam proficientem ad perfectam pulsat, eum eam impellit ad procurandam aliorum salutem et perfectionem; unde ad hoc quatuor titulis quasi stimulis eam perurget. *Primo, soror*, inquit, *mea* es, quia par est ut assimileris mihi, qui frater tuus sum, ut sicut ego ex oculis in carnem descendi, vivensque totum impendi me hominum salutem, sic et tu mecum te totam eidem impendas: nam, ut ait S. Dionysius, omnium operum divinisimum est Deo in salute animarum cooperari. *Secundo, amica mea* es; si ergo amas me, « *pasce oves meas*, » *Joan. XXI, 17*: quare satage ut et ceteri me ament, mihi que fiant amici. *Tertio, columba* (id est sponsa) *mea* es fecunda, columba enim singulis mensibus parit; tu ergo quoque assidue mihi filios parias, et par-

tos nutrias: hinc S. Basilus ad Julittam, *epist. 175*, docet sanctos debere imitari columbarios, qui columbam fragrantibus odoribus salubritatem emittunt ad alias columbas, ut illas fragrantia sua ad se alliciat, et in columbarium suum perducit: « Animam sanctam, ait, inquit, columbam suam appellans, tale quid dicere Deus videtur: Columbam te meam elegi, celestiumque gratiarum perfudi te odore; æquum igitur est, ut tu pariter virtutum tuarum odore, et in ea quam prædicatione effundis fragrantia, peccatorum agmen ad columbarum puritatem redactum tecum reducas in columbarium vulnerum meorum. » *Quarto, immaculata* (pura et perfecta) *mea* es; cur ergo patieris per proximorum scelera, quæ inquinari puritatem tuam? quin potius eos deputas, perficis, fibique, imo et mihi similes efficiere satagis? Nonnulli censent hic animam peccatricem a peccato evocari ad penitentiam, juxta illud, *Apocal. III, 20*: « Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januum, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum: » ita Cassiodorus, Beda, Philo et alii; unde Chaldæus veritè: « Et vox Spiritus Sancti admoebat eos per manus prophetarum, et excitabat eos de somno cordis eorum. Respondit Dominator totius sæculi: Convertere ad penitentiam, aperi os tuum, et exsulta et lauda me, *soror mea, dilecta mea*, Sinaæca Israel, que comparata es *columba* in perfectione operum tuorum. » Verum loage verius est hæc dici anime sancte, imo perfecte: ipsa enim vocatur *soror, columba et immaculata*.

Anagogice Cassiodorus et Beda censent hic moneri animam sanctam, ut Christo in morte pulsanti ad exitum, imo ad transitum in cælum invitanti continuo aperiat: « Confestim enim, inquit, sic Domino pulsanti aperimus, si mortem læti excipimus, neque judicium ejus induci formidamus, cui nos in bonis operibus placuisse, quem nos semper honorasse meminimus. » Audi S. Gregorium, hom. 13 in *Evang.*: « Venit Dominum cum ad judicium proparat; pulsat vero, cum jam per regraditinis molestias mortem esse vicinam designat; cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus: aperire enim judicii pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminim, judicium formidat: qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicium suscipit, et cum tempus propinque mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

*Primo*, S. Bernardus, serm. 4 super *Misericordiam*, censet hic pulsari ostium voluntatis Delparæ, ut consentiat S. Gabrieli nuntianti incarnationis mys-



vinam; et Polychronius, adimens Christo voluntatem humanam; et Valentinus, adimens et corpus terrenum, dicebat enim Christum corpus caeleste oculo attulisse, ac proinde per B. Virginem, non ut per matrem, sed ut per carnalem duntaxat transivisse.

Rursus mali christiani suis pravis moribus, quasi injecto rore contaminant caput Christi, illicque abs se ablegant, dum ejus sanctas inspirationes repellunt, itaque Christum a se abjectum quasi sub dio obnoctare compellunt, ac suo torpore, suisque concupiscentiis, velut pruina et gelidis guttis noctis hiemalis cincinnos, id est, cogitationes a Christo inmissas conspurcant. Audi S. Gregorium: « Caput Christi, inquit, plenum est rore, quia nulli in Ecclesia positi, et Deum eum credunt, et tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accenduntur; per cincinnos autem ejusdem populus intelligitur, quos in fide divinitatis quasi in capite Christi pendentes et opprimentes scimus; sed cincinnati pleni esse dicuntur guttis noctium, quia dum in torpore hujus tenebrosa temporalitatis se suspendunt, magis ac tragis stillationibus iniquitatum fluunt. Ad hoc accendendus sponsa excitatur, dum spiritalis quilibet pro edificatione plurimorum ab otio ad probationem Ecclesiae vocatur. » Sic et Cassiodorus et Beda, qui tamen per cincinnos accipiunt plures et sanctos, qui instar cincinorum se intra custodiam mentis suae colligunt, ac sui conditoris amoris acrius inhaerent; hi, inquit, pleni sunt utris noctium, dum impii eos premunt frigore aeternae coeque persecutionis, iustus vero et Anselmus per caput Christi accipiunt prelatos rore igitantiae plenos; per cincinnos vero clericos, et deales, qui guttis noctium, id est tenebrarum operibus, v. g. gula et luxuria inficiuntur. Exemplum memorabile refert D. Thomas Cantuarpatensis, lib. II *Apum*, cap. 4, part. XIII, nimirum D. Jesum specie pueri elegantissimi in Brabantia apparuisse cuidam religioso Cisterciensi solum in nivis frigore residentem, ac pro algore magnum edidisse ploratium et ejulationem. Cumque religiosus causam ab eo exquireret, tremementem dixisse: « Heu me! heu me! quare non florem? quare non ejularem? Ecce vides quod egens solus et in frigore sedeo, et non est qui colligat me, et hospitium praestet. » Quare religiosus ipsum in equum suscepit, sed puer de brachio tenentis exsiliens repente disparuit, magna cordi ejus doloris et amoris stimulum inficiens: quis enim hominum sine lacrymis audire potest piaculum tale et tantum, quod Filius unicus Patri Deo, Deus existens, hospitium in terra quaerit, eget cibo, algore contrahitur, et prae abundantia iniquitatis refrigerante charitate multorum, non est qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat Patris placitis, beneficia voluntate revolvat, foveat devotionis sinu, veste contegat charitatis.

Huc dimidia ex parte accedit Richardus Victo-

rinus, qui rorem *opulentem caput Christi* accipit abundantiam misericordiae Dei; per *guttas vero noctium super cincinnos* accipit hominum peccata et miseria, quasi Christus deus at anima devota: « Quia tanta tibi praestiti, et tu quoque beneficiis meis responde, et circa membra mea gratiam, qua specialius es dotata, exerce: ex eo enim quod Deus sum, abundo misericordia et rore gratis, et hi qui mihi in fide inhaerent, replentur peccatorum guttis et caecitate. »

Porro alii Patres rorem et guttas noctium in bonam partem accipiunt, puta per rorem *capitis* intelligunt doctrinam et gratiam, quae a Christo quasi a capite in fideles distillat; per guttas noctium vero, doctrinam prophetarum et apostolorum (addit Philo, et angelorum) quae ab illis quasi cincinnati Christi profuit ad christianos: Ita Nysseus, hom. 11, Philo, Richardus, tres Anonymi apud Theodorum, et S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.* sub medium: « Sicut ros caeli, inquit, nocturnas amovet siccitates, ita ros Domini nostri Jesu Christi nocturnis et secularibus tenentibus aeternae vitae distillavit humorem. Hoc est caput, quod aestu mundi nescivit arescere. Hoc caput rorat aliis, sibi abundat. » S. Paulinus vero, epist. 4 ad Severum, per caput accipiens Christum Deum, per cincinnos autem sanctos Christi, per rorem et guttas sanctorum opera, quibus animam suam in societatis sili reficiunt: « Ideo, ait, caput tuum Christus tibi repletum rore letatus, et illuminator noctium nostrarum; tamen guttis noctis nostrae crines suos gaudet esse perfusus, quia ipsis refrigerium et refectio est ille fidelium operationes, quibus vel fratres juvantur, vel inopes confortantur. »

Anagogice, Philo per caput Christi rore plenum accipit resurrectionem Christi, quae mane facta est, cum ros in terram descendit; per cincinnos vero accipit populos ad Christi fidem conversos, quasi hos in fide magis erudire, expolire et perficere a Christo jubeatur Ecclesia.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Ros capitis et gutta cincinorum notant tribulationes et afflictiones Christi atque sanctorum: quare ceteros fideles invitat hic Christus, ut eis compatiantur, illasque levant vel mitigent: ita S. Ambrosius, *De Isaac et Anima*, cap. VI, et in *Psalm.* cxviii, serm. 12: « Considera, inquit, quando pulsat janua mea deus Verbum, cum repletum est ejus rore nocturno: in tribulatione enim et tentationibus positos visitare digatur, ne quis forte succumbat victis virumis. Repletur ergo caput ejus rore, vel guttis, quando corpus ejus laborat; tunc ergo vigilandum, ne cum sprassus venerit, recedat exclusus. Unde Chalcidius veritatem: « Quoniam capilli capitis mei pleni sunt lacrymis

terium: « Aperi, inquit, Virgo beata, cor fidei, labia confessionis: viscera Creatori: ecce desideratis euntes: gentibus foris pulsas od ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quorere quem diligit anima tua, surge, surge, aperi: surge per fidem, surge per devotionem, aperi per confessionem. » Secundo, magis apposite ad sensum litteralem de Ecclesia initio assignatum Rupertus censet B. Virginem hic excitari, ut post resurrectionem Christi, illius fidem omnibus, praesertim mulieribus praediceret: ipsa enim prae omnibus est Christi soror, imo mater, amica, columba, immaculata et perfecta. Audi Rupertum: « Sed tu, o caelum Dei, unica sedes Domini, cunctis praecelluisti: et optabas quidem, mortuo filio, et tanquam columba volare contemplando et requiescere, et fugiens elongari, remotior fieri Baptistae, secretior Heliae, ubi te soli scient, solique tibi famularentur angeli sancti; sed nobis filium tuum, nostri ab nimis amantem subjungis, cum ais: *Vox dilecti*, etc.; dilectum tuum indicas foris stantem sub dio, quasi domo earentem; nam excluderat eum synagoga Iudaeorum, gentes nondum receperant; ideo petiisse: Aperi mihi os tuum, loquere quae ad confirmandum sunt apta evangelium, et in hoc optate tibi quietis patere dispendium, ut gratum singulari tuae pudicitiae propter me rumpas silentium. »

QUIA CAPUT MEUM PLENUM EST RORE, ET CINCHINI MEI GUTTIS NOCTIUM.

GUTTIS NOCTIUM. — Aquila et Symmachus, nocturnis: Arabicus, quae persillant noctu: idem quasi dicit aliis verbis posteriore hemistichio, quod dixit priori, caput enim continet cincinnos, sive crines capitis: Ros sunt guttae noctium, ros enim est vapor frigore noctis concretus et resolutus in guttas que in herbas et plantas distillant. Cincinni proprii, aut Pestus, sunt crines intorti, sive circuli et calamistrati, inde tamen dilatata significatione quoslibet crines denotant: hebraice enim est *קצות* *keutsot*, quod alii a *קץ* *kots*, id est *spina*, derivant eo quod crines subiles et acuti sint instar spinarum. Alii et melius a *קצ* *kasats*, id est *procedit*, eo quod *keutsot*, id est *extremi capitis crines*, qui crispantur in cincinnum, praedit et resecati soleant. Alii a *קצ* *kavats*, id est *collegit*, quod crinum multitudo in unam comam, vel etiam in unam *masam*, id est *placam* et cincinnum, colligatur, uti eam etiamnum colligunt febriantes.

Solent juvenes amore fervidi, dum sponsam quaerunt, noctu ostium sponsae ambire, aditumque ad eam observare, ideoque sub dio ad nullas horas praenotare: quocirca frigore et guttis noctium cruciantur; id illi faciunt amore carnali, sed sponsus hic id facit amore spirituali: quare rogat sponsam, ut ostium sibi aperiat, ut in domo a rore et pluvia sit immunis, ac guttas roris et plu-

viam, quas sponse amore noctu contraxit, et fiat et desiccat.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Caput Christi est ejus divinitas; cincinnati sive capilli qui caput velant, sunt ejus humanitas et membra, quae velant divinitatem; illem ejus sancti et dilecti: ros et guttae noctium sunt blasphemiae et injuriae haereticorum et aliorum peccatorum, quas irrogant Christo: ita S. Gregorius, Beda, Philo, Justus, Anselmus et S. Augustinus, tract. 37 in Joannem, quem audi: « Aperi mihi, soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum repletum est rore, et crines mei guttis noctis; velut si diceret: Tu vacas, et contra me ostium clausum est; tu studes otio paucorum, et abundantia iniquitatis refrigerat charitatis multorum: nox quippe iniquitas est, ros vero ejus et guttae, hi sunt qui refrigerant et cadunt, et faciunt refrigerare caput Christi, hoc est ut non ametur Deus, caput enim Christi Deus; sed portantur in criabibus, id est in sacramentis visibilibus tolerantur, sed nequaquam interiora sensus attingunt. Pulsat ergo ut excusset quietem sanctis otiosis, et clamat: Aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de spiritu meo columba mea, de sermone meo, quem plenus ex otio didicisti, perfecta mea aperi mihi, predica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente: quomodo enim audient sine predicante? » Rom. X, 24. Sic caput, id est divinitatem Christi tempore Constantini impugnavit Arius, dicens Christum esse creaturam, ac consequenter non esse Creatorem et Deum. Et Macedonius, adimens Christo spirationem Spiritus Sancti, utpote asserens Spiritum Sanctum non esse Deum. Et Sabellius, negans SS. Trinitatem, ac consequenter negans Patrem et Filium, utpote affirmans Deum esse unum in persona, aequae ac usum est in essentia. Hinc Christus S. Petro episcopo Alexandriae et martyri apparuit veste discissa, dicens: « Arius vestem meam, quam est Ecclesia, dilaceravit, » teste Eusebio, lib. VII, Beda et aliis. Humanitatem vero Christi blasphemavit Manes, et ejus sectatores manichei, docentes Christum assumpsisse carnem non veram, sed apparentem duntaxat et phantasticam, uti daemones saepe assumunt corpora umbrafica, puta larvas et spectra; et Nestorius, negans unionem hypostaticam humanitatis Christi cum persona Verbi, dicebat enim in Christo duas esse personas, sicut sunt duae naturae, ac proinde aliam esse personam humanam, aliam Verbi; et Eutyches, docens in Christo unam esse naturam, commixtam ex humanitate et deitate, sicut est una persona; et Apollinaris, tollens a Christo mentem humanam, ac pro ea substituens di-

tuis, sicut vir cuius capilli tinguntur de rore caeli, et cincinnus caesariet meae repletus est guttis oculorum tuorum, sicut vir, cuius cincinnus caesariet suae plenus est guttis pluviae, quae descendunt in nocte.

Nota hic lacrymarum plorum implere capit et capillos Dei, quia ipse cas sentis ac si essent propria: quare eis condelet, eos consolatur, roborat, et suo tempore liberat, juxta illud, *Zachar. ii, 8*: « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Rupertus docet Christum hic loqui B. Virgini, eamque hortari, ut praedicet Judaeis fidem Christi, ac rationem asserere quod Judaei rori inficiant caput suum, id est divinitatem suam, negantes eum esse Filium Dei; ac guttis noctium, id est tenebrosis sensibus pervertant sacras Scripturas, quae quasi cincinnati inhaerent capiti Christi tanquam Verbi Dei: « Sicut, inquit, illa nocte (passionis meae) faciem meam conspuerunt, ita nunc pertinaciter blasphemias in caput meum jacitant, et cincinnos meos commaculant, similes ipsi rori cadenti, sive caducis guttis noctium, quia de gratia Dei occiderunt, dum me Deum Dei Filium esse blasphemantes negant, et Scripturas quo testimonium perhibent de me, sensu contrario conturbant. Aperi igitur cum aliis testibus meis os tuum; et facito ut in quibuscumque locum habeam, ubi reclinem caput meum. »

Addit Rupertus initio Ecclesiae mulieres aequae ac viros vitam religiosam instituisse, habuisseque omnia communia, sed mox ortum esse murmur Graecorum contra Hebraeos, quod in distributione alimentorum viduae eorum posthabebantur; quare B. Virginem jussu Christi murmur hoc sedasse, pacem inter viduas conciliasse, aliasque ad pauperum et perfectionis evangelicae studium accendisse.

VERS. 3. EXSOLIATI ME TUNICA MEA, QUOMODO INDEAR ILLA? LAVI PEDES MEOS, QUOMODO INQUINABO ILLOS?

Septuaginta, exui tunicam meam, quomodo induam illam? Sponsa in lectulo suaviter decumbens, surgere et sponsos pulsanti aperire detrectat, aut certa moras nequit, ut solent facere somnolientes et semisopiti: quare huic suae somnolentiae et torpori excusationem preterit dicens, non tam sponso (hoc enim nimis inurbanum fuisse) quam sibi ipsi: Ego tunicam exui, difficile est mihi surgere et tunicam induere: lavi pedes meos ne lotices inquinarem; molestum est mihi pedes e lecto tollere, humum calcare, pulvere terrae sordidare: maneo ergo in lectulo meo: olim enim incedebant nudi pedes, aut certe sola solea plantam pedis tegebant, ne illam in saxa

illiderent, superiore vero pede nudo ambulabant: quocirca conatur vel cubitum iurari pedes lavabant, ne pedibus pulverulentis vel lutosus stragula macularent. Sic Abraham angelis forma humanae apparentibus parans convivium, prius eorum pedes lavit, *Genes. XVIII, 4*: idem fecit Loth isdem, *Genes. XIX, 2*: et Joseph fratribus suis ante epulum, *Genes. XLII, 24*. Hinc Magdalena, in convivio Simonis, lacrymis suis lavit Christi pedes, ac Christus ipse discipulis suis in ultima cena ante sacram synaxim: idem fecissae gentiles docet Athenaeus, lib. XII, cap. v, et lib. XV, cap. xv.

Hinc symbolice docet Nyssenus, anime pie nudandos esse pedes mentis, ut sine calcet terrenorum affectuum libere incedat ad Deum: calcet enim, cum fiant ex pelibus animalium mortuorum, sunt symbola peccatorum, idque probat, primo, exemplo Moysis, qui accessurus ad Deum in rubo ab eo jubetur calcere exure, *Exod. ix, 5*; secundo, ex eo quod de calcetis sacerdotum nihil a Deo legamus praescriptum, uti de ceteris eorum vestibus; videntur ergo sacerdotes nudi-pedes ministrasse et sacrificasse; tertio, quod Christus apostolis iurari per orbem calcere voluerit, *Luc. x, 8*.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Queres, quantum sit tunica, qua Ecclesia se exsoliavit, et veretur eam rursus induere? *Primo*, noster Sanchez: Deposuerat sponsa, inquit, nuptialem vestem, id est de amore sponsi aliquid remiserat, dum suam molliem et somnum plus satis amat. *Nuptialem autem tunicam esse charitatem docet Gregorius, homil. 38 in Evang.* Illam ergo tunicam, dum suo genio magis quam sponsi voluntati insequitur, sumere, id est amare spontum plus quam seipsum durum videbatur. Huc facit versio Chaldaeae, licet de more judaica: « Respondit coetus Israel coram prophetis: Egoe jam abstuli a me jugum praecceptorum ejus, et servi idolis populorum, quomodo ergo erit mihi facies ut convertar ad eum? Respondit et Dominator saeculi per manum prophetarum: Ego quoque abstuli majestatem meam de medio tui, quomodo convertar? tu autem fecisti opera mala. Ego sanctificavi pedes meos ab immunditiis tuis, sed quomodo inquinabo eos inter te operibus tuis malis? »

*Secundo*, alii ex adverso per tunicam accipiunt veterem hominem, puta veterem in concupiscentiis et peccatis vivendi modum: sic Apostolus, *Ephes. iv, 21*, jubet « deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; » et mox, vers. 24, subjungit: « Indute novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Sponsa ergo

veterem calpe tunicam in baptismo exuta, ac novam innocentem tunicam induta, veretur ne veterem rursus induat, si conversioni peccatorum se ingerat, ut dum eos convertere cogitat, ab eisdem pervertatur et in antiquum scelorum cœnum revolvatur: ita Nyssenus, Philo, Psellus et tres Anonymi apud Theodoretum. Hinc urgent nonnulli *exspoliati, q. d. Veste sordida peccatorum, quasi hostili me exspoliavi, illamque quasi spoliū hero suo, puta demoni reddidi; quare illam repetere mihi est nefas.* Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virg.*: « Vido anima Deo devota quid dicat; sic se actus corporibus et terrenis exiit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere: Quomodo induar illa? hoc est qua verecundia? quo pudore? qua postremo memoria? Consuetudo enim boni usum pravitalis veteris amisit. » Et post pauca: « Lavi pedes meos, non dicit: Quomodo iterum lavabo eos? sed quomodo iterum inquinabo illos? quasi oblita maculae veteris, oblita contagi. Itaque pedes cum semel laveris aeterni fontis irriguo, et mysterii mundaveris sacramento, cave iterum corporeæ cupiditatis illuvine, ne luteolenti actus sordibus inquinetur. » Hinc discere quam positenti sit cavenda recidiva peccati, ideoque vitanda praesentis ejus occasiones et illecebra.

*Tertio*, S. Augustinus, *epist. 57*, et ex eo Delrio per tunicam accipiunt veteres sanctos doctores, qui Ecclesiam quasi tunica vestierant, sed per martyrium jam erant defuncti; per pedes vero doctores juniores adhuc superstities, *q. d. Jubes, o Christe, a me Ecclesia tibi mortalium corda, saxo duriora molliri et aperiri, vellem, sed desunt idonei operarii, certe nondum satis persepti quid valeant ferre, quid recusent.* Priores, quos idoneos noveram, et audacter in pugnam mittebam, eos omnes hostilis turbo sustulit maxime robens, praeterita vix Maximiani, Maxentii, Diocletiani et fore continua Licinii crudelissima persecutio: isti bellatores mihi ardentissime conjuncti me stipabant, protegabant et inferioris tunicæ more velabant, dum tibi morem gestura, meis non parco, bene nuda spoliataque remansi. Qui reliqui supersunt, pars aivo et laboribus, pars vulneribus et eoules fracti: ceteri juniores, quorum me vis sedulitate velut pedibus per orbem discurrere, recedens abluat teneri sunt; jure metuo ne fatiscant sub onere, saltem ne rursus sordidentur, et sic ego in pedibus meis iterum coinquiner. Et sensus valde appositus est, sed non tam litteralis quam symbolice et anagogice videtur, ut et de Philonis, qui hæc refert ad Christi resurrectionem, in qua Christus mortalem humani corporis tunicam exiit, et immortalem induit: « Christus enim resurgens ex mortuis jam non meretur, mors illi ultra non dominabitur. » *Rom. vi, 9*; verum hæc sunt verba sponsæ Ecclesiae, non sponsi Christi.

*Quarto* et gentina, S. Gregorius, Cassiodorus,

Beda, Philo, Anselmus, Richardus, Honorius et alii per tunicam accipiunt occupationes temporales, quibus se ut vestibus necessario implicant, qui curam suscipiunt proximorum, indeque pedes, id est affectus suos inquinant. Ecclesia ergo, id est praelati Ecclesiae sub tempora Constantinii, pauci, otio, orationi, vitæ quietæ, ac quasi contemplativæ indulgentes, ideoque refugientes laborem prædicandi, confutandi arianos caeterosque hereticos et infideles, ac convertendi pravos christianos, ad quem ex officio a Christo evocabantur, pretebant suae ignaviae et torporibus hanc excusationem, quod cum essent Deo dicati, nolent rebus temporalibus se occupare, quibus occupatum necesse est defectus et sordes peccatorum contrahere, juxta illud S. Leonis: « Necesse est de terreno pulvere etiam religiosa corda sordescere. » Audi Honorium: « Hæc non dicit inobediendo, sed saecularem curam refugio: qui enim in saecularium proficiscitur, in spiritualibus dejicitur: quia sicut corpus tunica induitur, sic mens saecularium cura implicatur, quem exutum nolunt spiritualibus reincludere, sed in spiritualibus soli Deo vacare. Vocati vero a Deo suam voluntatem postponunt, et onus regiminis causa proximorum inviti subeunt; unde gementes dicunt: Lavi pedes meos, » etc. Pedes deinde hosce mysticos explicat, subdens: « Pedes animæ sunt affectiones, quibus ad varia desideria transferuntur, sicut corpus pedibus graditur, quæ sunt concupiscentia, timor, gaudium, dolor; concupiscenti enim terrena, timet ne cupita minime adipiscatur, gaudet de adeptis, dolet de amissis; hos pedes lavit, dum terrenas concupiscentias lacrymis penitentiae abluat; hos iterum inquinare timet, quia qui in saecularium regimine positus est, vix aut nullatenus sordes peccatorum devitare valet. »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Multi vitæ quietæ et contemplativæ nimis dediti, licet gratia prædicationis dotati, a Christo per superiores ad lucrandas Deo animas evocati laborem detrectant, ne a sua dulci quiete avellantur, ac ne in turba hominum in peccandi pericula incident: qui enim peccatores lucrari satagit, iis quoad licet se accommodat oportet, ut Christus cum peccatoribus et publicanis manducabat, ac Paulus « omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos, » *1 Corinth. ix, 22*: facile aliquis venialium peccatorum pulvisculus talium adherescit pedibus, et, ut ait S. Hieronymus, *epist. ad Damasum* de prima visione Isaiae: « Proclive est terram calcanti terre quippiam agglutinari; si feliciter predicatio succedit, periculum est vanæ glorie; si reprehenditur, turbatio; si laudatur, inflatio est metuenda. »

Verum hi errant, tum quia hi pulvisculi leves